BIBLIOTHECA
SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM
TEVBNERIANA

PLINIVS SECVNDVS

LIBRORVM DVBII SERMONIS VIII RELIQVIAE

EDIDIT
J. W. BECK

1655

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

C. PLINII SECUNDI

LIBRORUM DUBII SERMONIS VIII

RELIQUIAE.

COLLEGIT ET ILLUSTRAVIT

J. W. BECK.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCXCIV.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

Praefatio.

Scriptorum veterum quae supersunt reliquias colligere atque digerere, digestas enarrare et illustrare ingratum plerumque opus est taedii atque molestiae plenum: quaerendum primum est quis unum vel plura fragmenta, nonnunquam minuta frustula dicas, relinquere potuerit, deinde quomodo ille scriptorem, cuius imaginem plane evanidam reficere fere nobis in animo est, in suum usum converterit, tum utrum intacta neque suis immixta scriptoris verba tradiderit an per alios ea acceperit ac sua cum alienis coniunxerit; tum aetas rerumque status vitaeque condicio et scriptoris et excerptoris consideranda — nam magnopere interest quo tempore et cui scribas — postremum dispiciendum quis cui credamus eorum dignissimus esse videatur.

En, habes iam auctores omnes detectos, cognovisti vel penitus perscrutatus es eos fontes, ex quibus iam hausurus es, num ad rem conficiendam paratum te esse arbitraris? Quid, si idem tuus auctor, vel plures fortasse, ipse e fontibus recentioribus isdemque diversis suam mutuatus est doctrinam, si membra scriptoris disiecta tum facile nomine addito sive nota quadam auctoritatis fragmento inusta sive alio fragmento consimili collato cognoscuntur, tum non sine magno labore eruuntur? Manent vero plurimi loci incerti et dubii; quin ut carbonem pro thesauro inveneris evenire potest et quae in numero fragmentorum habere non dubitabas, postea iniuria a te recepta esse videbantur. Neque non potest

fieri, ut lepidum quoddam frustulum invitus omiseris. Sed laborum et molestiarum numerus quamquam satis magnus est et ab huius modi studiis qui multos deterreat satis idoneus, ipse est dulce mihi laborum lenimen atque haud parvum solatium.

Opusculum fere octo ante annis promissum tandem in lucem prodibit. Haud scio, si plures etiam annos cunctando praetermittam, an magis elaboratus non evadat hic libellus, an litterarum latinarum, grammaticae praesertim antiquae studiosis utilitatem nullam afferam. Namque aut omnia me fallunt aut hoc fonte antiquiore recluso fortasse reconditiora pervestigare licebit. Itaque hoc opusculum qualecumque in vulgus emittere constitui, ut viri et doctrina et acumine et insatiabili cupiditate investigandi cum rerum naturam tum linguae penetralia praediti opus tantum, quod per vires nostras liceat, suo pretio aestimetur. Quid ipse de suo opere senserit testatur in N. H. praefatione § 15: ‘res ardua vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem . . . . Nobis itaque etiam non adsecutis voluisse abunde pulchrum atque magnificum est. Equidem ita sentio peculiarem in studiis causam eorum esse qui difficultatibus victis utilitatem iuvandi praetulerint gratiae placendi idque iam et in aliis operibus ipse feci’.

Groningae m. Aug. 1894.

Commentariolus isagogicus.

I. de grammatica antiqua usque ad Plinii tempora brevis disputatio.

C. Plinii Secundi libri dubii sermonis grammaticorum studiorum apud Romanos quasi ultimi flores sunt. Quae studia quamvis post eum per longam annorum seriem in honore esse non desierint, adeo ut ipsi Caesares haec studia colerent grammaticorumque cohortem honore prosequerentur, tamen ex magna parte in excutiendis et pervestigandis veterum thesauris versabantur grammatici aut de quaestionibus disputando futilibus tempus terebant. Plinii aetate lingua latina optima iam sua tempora percurrerat, multa et usu vel consuetudine et ratione sancta erant, alia nobilissimorum virorum auctoritate in perpetuum omnium animis infixa. Silebat genus eorum, qui antea aut analogiae aut anomaliae partes defendebant; dabant etiam aurium iudicio atque summam consuetudini auriumque suavitati tribuendam esse censebant.[1]) Tempus erat valde idoneum annorum tot curriculo peracto, cum poetarum et solutae orationis scriptorum opera praesto essent magnusque numerus hominum vocabula rariora, etymologiam, orthographiam tractavisset, ad totum linguae aedificium diligentius conspiciendum singulasque partes recensendas, incerta suo loco disponenda, dubiis firmitatem tribuendam. Si virorum doctorum indagationibus lux orta est, si incerta certa, dubia digna fide facta sunt, si via ac ratione emendare atque enarrare scriptores didicerunt, tum demum scientia linguae subtilior etiam puerorum studia adiuvare et collustrare non recusat. Quod si ita est, non miramur quod Plinii opere perfecto ludorum magistri artes suas componere instituebant, quorum primus est Remmius Palaemon. Usque ad eius tempus studia grammatica plerumque in scientia partium orationis et in vocabulorum enarra-

1) Char. 123, 3; Zur Quellenanalyse (Phil. N. F. II 2 p. 259).

tione, derivatione, historia, ut cetera grammaticorum munera omittam, continebantur. Namque de syntaxi, cuius parens est Apollonius Dyscolus, studia severiora nondum erant facta.

Operae pretium est quam brevissime historiam grammaticae antiquae percurrere, ut ea quae sequuntur non solum harum rerum peritis sed etiam iis, qui haec studia primis digitis attigerunt, probabiliora videantur.

Quaerenti studiorum grammaticorum initia a philosophis graecis ordiendum est. Primi illi philosophi non a verbi elementis profecti sunt — utinam possent —, ut Indi veteres, a quibus ea ars summo iure vyākaraṇa[1]), *ἀνάλυσις* fere vel reductio ad principia, appellabatur, sed statim ad superiores regiones evolaverunt. Sophistis erat lingua telum quo omnes superare posse sibi videbantur. Accuratissime perpendebant vocabulorum vim et significationem, ut synonymorum doctrinam a Prodico et Protagora conditam esse vix miremur. Itaque in praeceptis Platonis et Aristotelis odoramur sophistarum sententias. Sed dolendum est quod de linguae apud Graecos studiis illis vetustissimis caremus auctoribus locupletibus.

Antiquissimum testimonium habemus Platonis Cratylum, de quo dialogo adhuc acriter disputant viri docti. Quaeritur num vinculo quodam vocabulum et eius significatio contineantur, num nomina rebus imposita sint *νόμῳ* an *φύσει*. Est vero in hoc dialogo aliquid, quod teneat nos et moveat admirationem. Quin etiam tum cum errat vir divinae mentis, summum ingenium et mirabilem sagacitatem ostendit. Facile est irridere conatus horum philosophorum in vocabulis ad principia reducendis. Neque naturae Graecorum neque linguae eorum, subtiliore distinctione vocalium minus perspicuae, casuum et numero et extremitatibus deminutis, analogiae vi latius dominante, conveniebat ratio quam Indi secuti sunt.[2]) De vocabulo solo igitur fere omnes scribebant et quaerebant. Non distinguebant tamen diligenter *τὸ ὄνομα* = nomen a *τὸ ῥῆμα* = verbo ante Aristotelem, qui videbat *τὰ ῥήματα* cum temporis notione esse coniuncta. Stoicis debemus illam disciplinam quam nos grammaticam dicimus. Ab his per Varronem ad Romanos pervenit, a Romanis nos eam didicimus. Augebant Stoici numerum orationis partium; habebant enim *ὄνομα*, *ῥῆμα*,

---

1) vi = dis-, ā = ad, karaṇa a rad. kṛ = facere.
2) cf. tamen G. Meyer, Essays u. Stud. II p. 6.

ἄρθρον (pronomen et articulus), σύνδεσμος coniunctionem. Seiungebat Chrysippus ab ὄνομα τὴν προσηγορίαν, ita ut illud esset nomen proprium, alterum nomen appellativum. Primi utebantur voce πτῶσις, quam varie interpretantur viri docti, minus latiore sensu et ab illo tempore legimus de declinatione vocum (κλίσις), de casibus et recto et obliquis, denique occurrimus nominibus illis, quae per grammaticos latinos ad nostra tempora propagata sunt. Magni quoque momenti est quod docebant de verbo; distinguebant verba transitiva et intransitiva, animadvertebant activa (ὀρθά), passiva (ὕπτια) et neutra (οὐδέτερα). At ante omnia hoc commemorandum est Stoicos primos tempora verbi certis legibus obstrinxisse et distinxisse tempus praesens infectum et praeteritum infectum, praesens perfectum et praeteritum perfectum; futurum et aoristus nondum suis locis erant posita. Ignorabant igitur tres actiones cum suis quamque temporibus. Modos, quos nos dicimus, neque Stoici neque Varro quidem cognovit. Coniunctio vel ut graece dicam ὁ σύνδεσμος apud Aristotelem inter orationis partes nondum receptus est neque hic discernebat pronomen, coniunctionem, articulum. Stoici secernebant pronomen et articulum iisque nomen ἄρθρα indiderunt. Quo factum est ut decem haberent συνδέσμους, quorum nomina fere omnia ex ea doctrina, quam logicam dicunt, sumpta sunt e. g. προθετικοὶ σύνδεσμοι praepositiones, ἐπιφορικοί illativae, velut ἀλλὰ μήν, τοίνυν, διαζευκτικοί coniunctiones disiunctivae (ἤ), παρασυναπτικοί (ἐπεί) cet. Teste Diogene Laertio VII § 58 τὸ ἄρθρον erat στοιχεῖον λόγου πτωτικόν, διόριζον τὰ γένη τῶν ὀνομάτων καὶ τοὺς ἀριθμούς, οἷον· ὁ, ἡ, τό, οἱ, αἱ, τά. Sic articulum eum significasse credideris. Sed alii testantur hoc esse ἄρθρον ἀοριστῶδες (infinitum), pronomina autem ὡρισμένα (finita) appellari (posterioribus temporibus ἀντωνυμία = pronomen). De qua re conferas Priscianum II p. 54, 13: „articulis ... pronomina connumerantes (sc. Stoici) finitos ea articulos appellabant, . . articulos . . infinitos articulos dicebant vel, ut alii dicunt, articulos connumerabant pronominibus . . . . . .“ Inter infinita numerabantur etiam: vocabula interrogativa, pronomina indefinita et correlativa, inter finita: pronomen personale, possessivum, reflexivum et fortasse pron. demonstrativum. — „Adverbia (i. e. ἐπίρρημα) (Stoici) nominibus vel verbis connumerabant et quasi adiectiva verborum ea nominabant“ (Prisc. II 54, 18). Tum legimus Antipatrum Tarsi natum, auditorem

Diogenis Babylonii nomen μεσότης invenisse, quod medium inter ὄνομα et ῥῆμα suum locum haberet (Diog. L. VII 57). De tertio vocabulo πανδέκτης nihil fere certi traditum est.

Perspicuum est Stoicos in iis, qui scientiam linguae tunc temporis sane in incunabulis versantem coluerunt, primum ducere agmen. Quos subsequebantur Alexandrini, agmen claudunt Romani. Florere haec disciplina incipiebat tum cum Graecorum libertas et magna gloria ad interitum vergebat. Inde ab iis temporibus cum docti Alexandrini scriptores veteres emendare, adnotare, enarrare omnibus viribus studebant, ortum est certamen illud inter eos, qui analogiam et eos, qui anomaliam defendebant. De quo certamine Varro, de lingua latina lib. VIII, IX, X fusius disputavit. Hoc certamen quod summo studio per tot annos gerebant tam multi viri, ipsum Caesarem incitavit ad scribendos libros duos de analogia. Et quid profecerunt tam acriter pugnantes? Ex hoc certamine, ut alia omittam, orta est τέχνη γραμματική. Tum pax facta est inter utrosque, tum demum iis persuasum erat et analogiam et anomaliam regnare. Itaque philosophi digerebant linguae materiam suaeque singula vocabula classi tribuebant, grammatici quae similia quae dissimilia cuiusque classis coniungenda aut separanda essent quaerebant, nostri aequales singulos ordines quam plurimarum linguarum comparant, de singulis formis inquirunt et unam eandemque vocem et terminationem in multis latere demonstrare conantur. In hac re maximae utilitati fuisse linguam sacram Indorum nemo est quin sciat. Etenim habet nostrum quoque saeculum suos Aristarchos, qui perscrutando corpus mortuum viventibus profuerunt. A scholae Alexandrinae discipulo Dionysio Thrace saec. I ineunte tandem confecta est ars grammatica, quae per multa saecula linguam graecam discentibus optima erat dux et conciliatrix. Hoc libello etiam Romani utebantur veluti Varro, Plinius, Palaemon, Priscianus. Quin, quod rarissimum erat iis temporibus, saec. V p. C. n. in linguas Armenicam et Syriacam hanc artem vertebant. Qui in grammaticis latinis studium operamque impendit hunc libellum neglegere nullo modo potest. Partes orationis λόγου μέρη numero octo a grammatico Dionysio migraverunt in opera Romanorum, qui ἄρθρον suo loco movere coacti interiectionem addiderunt. Noli putare omnia tum primum a Dionysio quasi inventa esse: hic enim studia et praecepta antecessorum apte et clare effingebat pauca e suo sententiis antiquis inserens.

De initiis studiorum grammaticorum apud Romanos scripsit Suetonius, a quo discimus studium grammaticae in urbem intulisse Cratem Malloten, Aristarchi aequalem, inter secundum ac tertium Punicum bellum sub ipsam Ennii mortem. Suetonius magistros illos iuventutis singulos in scenam producit, de iis, qui de lingua latina philosophabantur et libros conscribebant, Varronem dico et Nigidium Figulum et Plinium Secundum, suo iure aut pauca dicit aut tacet. Nostra magis interest de linguae ipsius studiis subtilioribus quid Romani dixerint et scripserint et cogitaverint aliquid adnotare. Romani enim ubi paulatim ad cultum et humanitatem pervenerunt, et „Punico bello secundo Musa pinnato gradu | Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram“, tum ultro sese ad linguam suam poliendam et limandam accingebant. Agmen ducit Ennius poeta; erant antiquissimi illi vates et linguae latinae egregii cultores et semigraeci. Quantum differebant a Graecis, apud quos primum philosophi linguam tractabant, deinde grammatici hoc opus suscipiebant, quo usui vitae haec studia adaptarent. De orthographia certa praecepta condere inprimis opus erat; usus loquendi fluctuabatur, ut poetae ipsi suam linguam quasi creare et apparare deberent. Maxima quidem fuit licentia veterum teste Plinio Secundo apud Charisium 118, 19: „quod si manus veterum licentiae porrigemus, potest et copies et observanties et benevolenties dici“. Quod in constituendis vocabulorum formis analogia praesidebat non miramur. Testes sunt ille accusativus 'praecipem' apud Livium Andronicum, 'herem' apud Naevium, ille genetivus 'exerciti' et 'iteris' apud eundem. Perlegas velim Ennium et invenies genetivos 'tumulti' et 'strepiti'; stupes in 'solui' perfecto (soleo) apud Catonem et Ennium; cf. Varro de l. l. VIIII 107: „sequitur ut contra, quoniam est 'soleo', oporteret dici 'solui', ut Cato et Ennius scribit, non ut dicit volgus, solitus sum, deberet dici“. Adverbia in -iter exeuntia Ennium magnopere delectabant (iracunditer, ignaviter), sic Naevius 'superbiter' Non. 515, 10. Priscianus p. 249, 7 de vocabulo 'Samnis': „huius neutrum Naevius 'Samnite' protulit in carmine belli Punici“. Et veri simile est multa vulgaris sermonis vocabula a poetis in carmina sua introducta esse.

Ennium novorum vocabulorum fabricatorem fuisse auctor est Horatius A. P. 56 . . . cum lingua Catonis et Enni | Sermonem patrium ditaverit et nova rerum | Nomina protulerit?

De Ennio cotidiani sermonis vocabula adhibente loquitur Cicero Or. 31, 109 „an ego Homero, Ennio, reliquis poetis et maxime tragicis concederem, ut . . . . . nonnumquam etiam ad cotidianum genus sermonis accederent"; praeterea Fronto, ep. ad Verum I p. 114 N. a quo Ennius 'multiformis' appellatur. Ennium peculiare opus de rebus ad linguam latinam pertinentibus non scripsisse apud omnes constat. De orthographia quid censuerit et quid praeceperit sententiam ferre non possumus, propterea quod opera Enniana vestem qua induit ea poeta deposuerunt (Ritschl, Op. 4). Novimus Ennium consonantium geminationem commendavisse, Accius scribebat vocales duplices pro una longa (Op. 4 p. 142), de qua re Lucilius Sat. IX eum reprehendit, ipse non minus reprehensione dignus, quippe qui genet. et dat. singularem vocabulorum 1. decl. in *ai* exire vellet, nomin. plur. in *ae*, nom. plur. 2. decl. in *ei* eiusdemque generis plura. Porro studia huius viri versabantur in assimilatione praepositionum, nec minus in differentia verborum. Praecedunt grammaticae latinae quasi parentem M. Terentium Varronem Q. Valerius Soranus et L. Aelius Praeconinus Stilo, Varronis magister, qui Stoicorum disciplinam in studiis suis etymologicis sequebatur. Tum L. Cornelius Sisenna, quem eundem esse atque grammaticum illum suspicari me, iam alio loco commemoravi[1]), L. Plotius Gallus, Sevius Nicanor, Aurelius Opilius aliique. Haec quamvis pervulgata eo disputo, ut ante Varronem quantum linguae latinae scientia his studiis profecerit in memoriam revocem. In hac re ipsum Varronem habemus testem in libris grammaticis. Itaque non tam grammaticos graecos quam latinos Graecorum sane doctrina imbutos eum sequi existimandum est.

Varronis opera quae ad linguam latinam pertinent et ipsi et Romanis summo honori sunt, quae quidem per multa saecula omnibus essent magno subsidio. Praeclari erat illius generis hominum, qui egregia memoria, magni laboris summaeque industriae vixque aequanda perseverantia de multis rebus multa et elaborata proferre nullo negotio possint.

Favebat ei longum vitae tempus a dis aequis concessum, quamquam omnes fere artes et disciplinas tum cognitas in medio belli tumultu et armis civilibus exercebat. Libros de lingua latina scripsit annos fere septuaginta natus. Non igitur

1) Stud. Gelliana p. 23.

hercle imparatus ad hoc opus accessit, imo totam rem remotissimis in locis perscrutando penitus pernoverat. Iam magnum numerum opusculorum in lucem emiserat velut de antiquitate literarum, de origine linguae latinae, de similitudine verborum (analogia), de sermone latino (addiderat praecepta de re metrica), cet. Continebant libri de lingua latina totam grammaticam i. e. etymologiam, morphologiam, syntaxim. Rationem quidem Stoicorum (Chrysippi) et Alexandrinorum (Aristophanis, Aristarchi) amplectabatur, ut in multis rebus aeque atque illos peccasse eum negari non possit. In enodandis et explicandis vocabulis saepe ad dialectos Italorum relegabat, ut Sabinorum, Oscorum, Tuscorum, cet.; dialectum Umbrorum, quod sciamus, neglexit. Verrii Flacci temporibus et Gallorum lingua et Umbrorum dialectus auxilio arcessebatur, ad quae auxilia accedebat lingua Graecorum, qua tamen paulatim in deducendis vocabulis abutebantur, ut haec verborum explicatio a Quintiliano I 6, 28—39 acriter vituperaretur. At sint multae nugae et ineptiae in veterum libris, quos scripserunt de lingua, erraverint creberrime et stultissime, permulta et recte explicaverunt. Et quantum nostris quoque temporibus erratum sit relinquo. Praeterea ne nos quidem in multis meliora docuimus. De Varrone testimonium Benfeyi, viri scientiae linguas inter se comparandi peritissimi hoc loco exhibere aequum est: „Der grosse grammatische Eifer und Fleiss, die umfassenden antiquarischen Studien, die von den Alten gerühmte und auch in den uns von Varro erhaltenen Werken und Fragmenten hervortretende Kenntniss des Altrömischen und der italischen Dialekte würde ihm sicherlich sowohl für die Geschichte der Sprachwissenschaft überhaupt, als der römischen Sprache insbesondre einen unersetzlichen Werth verliehen haben“ (Geschichte der Sprachwissensch. p. 167).

De libris Varronis grammaticis Ritschelio praeeunte (Op. 3) scripsit egregium opus A. Wilmanns, de M. Terenti Varronis libris grammaticis, Berol. 1864; libros de lingua latina qui supersunt V—X optime edidit iterum Spengelii filius patre mortuo.

His libris, quorum numerus erat XXV, sine dubio praemiserat eos qui sunt de antiquitate litterarum, de origine linguae latinae, de similitudine verborum, de sermone latino, fortasse etiam de syntaxi. Comitabantur eos epitome et libellus de grammatica (in libris Discipl.). Libros quos dixi V—X servavit non integros codex Florentinus in bibliotheca Lauren-

tiana saec. XI scriptus numeroque LI 10 insignitus. Ex quo archetypo, cum integer erat, descripti sunt reliqui codices. Apparet Varronem a numero vulgari, quem constituerant Graeci, octo partium orationis decessisse; habebat enim: *nomen, verbum, adverbium, participium. Nomen* dividit in provocabula (quis, quae = ἄρθρον ἀοριστῶδες Graecorum), vocabula (scutum, gladius), nomina (Romulus, Remus), pronomina (hic, haec = ἄρθρον ὡρισμένον). Vocabula et nomina etiam 'nominatus' appellantur, provocabula et pronomina 'articuli' (de l. l. VIII 45). Inter substantiva et adiectiva nulla distinctio. In nominibus observanda sunt: sexus (virilis, muliebris, neuter), multitudo, casus (rectus, obliqui, communis = parisyllabicus) (de l. l. VIII 46). Nominatuum quattuor sunt declinationes (VIII 52): unum *nominandi* (1), ut ab equo Equile, alterum *casuale* (2), ut ab equo Equum, tertium *augendi* (3), ut ab albo albius, quartum *minuendi* (4), ut cista Cistula. Habemus in prima classi nostra 'denominativa' idque 1. ea quae a vocabulo derivantur: quod et a vocabulo oritur, ut a venatore venabulum (VIII 53), 2. 'gentilia', a nomine, ut a Tibure Tiburs, praeterea 3. 'verbalia', a verbo, ut a currendo Cursor. Accedit huic classi participium, verbum frequentativum et composita.

Sequitur *genus casuale* (2) i. e. nostra declinatio, sed Varro hoc vocabulo etiam utitur de coniugatione (VIII 7, 9). Nomina casuum apud Varronem sunt 1. casus rectus, nominandi, nominativus, 2. casus patricus, 3. casus dandi, 4. casus accusandi (vel accusativus VIII 67), casus vocandi, casus sextus sive latinus. In nomine accusativo vel casu accusandi adhibendo erravit Varro, qui propriam significationem Graecorum contorsit (cf. Uhlig, Dionys. Thrax ad p. 32, 1). Desideramus igitur casuum nomina genetivum et ablativum. Nigidius Figulus genetivum 'casum interrogandi' appellabat. Non minus usitatum erat casum indicare pronominibus: hoc mille, huius mille, cet. Frustra quaerimus apud eum declinationum ordines; at tamen non multum aberat a divisione quadam non plane despicienda (X 62): Sin ab singulari quis potius proficisci volet, initium facere oportebit ab sexto casu qui est proprius latinus; nam eius casus litterarum discriminibus facilius reliquorum varietatem discernere poterit, quod ei habent exitus aut in A ut hac Terra, aut in E ut hac Lance, aut in I ut hoc Levi, aut in O ut hoc Caelo, aut in U ut hoc Versu.

Comparationem (genus augendi) sive contentionem vel conlationem appellat; comparativi et superlativi nomina ignorat (cf. ὀνόματα συγκριτικά et ὑπερθετικά). Nihilo minus adhibuit voces 'primum' (posit.), 'medium' (compar.), 'tertium' (superl.) (VIII 76).

Hactenus de nominibus. Sequitur ut de verbo dicam, etsi de hac parte orationis Varroniana et de reliquis magna parte librorum VII et IX deperdita non multa proferre possumus.

Primo 'declinatio' vel 'inclinatio'(?) verbi mutationes appellabantur; 'coniugationis' vocabulum (συζυγία) posterioribus temporibus servatur. Quod ad verborum temporalium rationem attinet, partes (sunt) quattuor, 'tempora', 'personae', 'genera', 'divisiones' (IX 95). Numerum agnovit alio loco (X 33), genus 'faciendi' et 'patiendi' distinguit velut uro, ungo, uror, ungor (ibid.). Verba quae deponentia dicuntur leviter tangit (IX 107), item frequentativa „'ab semel et saepius' ut scribo lego, scriptitavi lectitavi“ (X 33). In divisione temporum Stoicorum rationem sequitur;

tempus infectum: discebam, disco, discam
tempus perfectum: didiceram, didici, didicero

discebam et didiceram = praeteritum (IX 104), disco et didici = praesens (IX 104), discam et didicero = futurum (VIII 58).

Varronem non distinxisse inter tres actiones et tempora neque vidisse actionibus singulis sua cuique tempora tribui consentaneum est. Quid, quod Graecis non contigit Romanis contigisset? Neque 'modi' quos nos dicimus his temporibus cogniti erant; cf. X 31: „Si habent personas, eorum declinatuum species sunt sex, una quae dicitur temporalis, ut legebam gemebam, lego gemo, altera personarum, ut sero meto, seris metis, tertia rogandi, ut scribone? legone? . . . . . quarta respondendi, ut fingo pingo . . . . quinta optandi ut dicerem facerem, dicam faciam, sexta imperandi ut cape rape,“ . . . . En vides ut supra tempora et actiones conturbata esse, ita hic tempora, modos et rationem rhetoricam esse mixta. Itaque a Protagora et Stoicis et Peripateticis vix differt. Ut ordines declinationum desideramus, ita frustra coniugationum ordines quaeras. Quamquam qui in declinatione, ut supra demonstravimus, a divisione quadam non magno spatio aberat, is in coniugatione paene rem acu tetigit (IX 109): „Utrum in secunda ⟨persona⟩ forma verborum temporalium habeat in extrema syllaba *as* an *es* an *is*, ad discernendas

similitudines interest". De Varronis sententia tamen plura adnotare liceret, si libri quos scripsit 'de formulis verborum' superessent (X 33). Iam perspicuum est eo tempore cum Dionysius Thrax artem suam condidit schemataque declinationum et coniugationum adiunxit, Romanos eorum, qui scientiam linguae inquirebant, claudere agmen. Constat igitur Varronem multa a Graecis didicisse, multa ipsum invenisse, sed cum sua tum linguae latinae natura perficiendo opere suo esse prohibitum: ipsius natura eum de rebus docte disputare sinebat, breviter dilucideque rem omnibus exponere nolebat; lingua latina ob multas causas ad Graecorum linguae instar se legibus analogiae subici non passa est.

Denique in illa quaestione de analogia et anomalia eo pervenit, ut non alterutram in lingua dominari sibi persuasum haberet, sed utramque imperium tenere; alteram alteri subsidio esse et emolumento.

Eodem fere quo Varro tempore scripsit P. Nigidius Figulus, vir magna doctrina et industria; nec tamen his virtutibus multum profecit: libri eius grammatici (XXXI?) non exibant in vulgus propter obscuritatem et subtilitatem rerum. Scripsit de hoc viro post Hertzium et Roehrigium A. Swoboda in libro qui inscribitur P. Nigidii Figuli Oper. reliq. 1889, quod opusculum aeque ac Wilmannsii satis laudare nequeo. Quod ex fragmentis conicere liceat, totum opus non via ac ratione confectum est, sed nullo consilio undique materia est congesta, ut in diversis libris eaedem tractentur res. Ceterum multum inter se differunt, ut in l. IV quaedam sint observationes de synonymiae doctrina, in l. IX et X de verbis incohativis, in l. XI de adiectivis in *-osus*, in l. XVIII de verbo 'tintinniendi', in l. XIX de differentia inter 'fit' et 'facitur', in l. XX de adverbiis in *-im*, in l. XXIII de tempore verbi, in l. XXIV de accentu et orthographia, in l. XXV de verbis derivatis in *-urio*, in l. XXIX de etymo vocabulorum 'avarus' et 'locuples'. Pleraque fragmenta reliquerunt Gellius et Nonius. Percurrenti libros apparet Nigidium quaesivisse de differentia inter 'sempiternus' et 'perpetuus' (frgm. I), inter 'vetustiscere' et 'veterascere' (frgm. III). Quam doctrinam colebant iam Cato et Varro (de different. script. lat. p. 4). Multum versabantur in ipsis vocabulis tractandis, et antiqua vocabula resuscitabant (glossographi). Tum ad unam speciem vocabulorum oculos convertebant, exempli gratia ad ea quae exibant in

-*ax* et -*osus*, de qua re Gellius et Nonius plura reliquerunt (frgm. IV—VIII). De adverbiis loquitur in -*im*, in quibus sunt, quae rarissime vel nullo alio loco inveniuntur. Neque syntaxim praeterit: de 'tempore' disputat (cf. Gell. N. A. 17, 7) et de coni. 'quin' (N. A. 17, 13). Praeterea de accentu (voculatio) genetivi et vocativi vocis Valerii et de orthographia quaedam profert (N. A. 13, 26, 4). Quaestiones etiam phoneticas, ut ita dicam, tangit (N. A. 19, 14) et maxime de etymis multorum vocabulorum quaerere solebat (N. A. 10, 5, 1, 2): 'avarus', 'locuples', (9, 12, 6): 'infestus', (13, 10, 4): 'frater', (15, 3, 4): autumo. At de his commentariis Plinius Secundus, quantum scio, nihil hausit, cum aliorum operum Nigidii copiis Naturalem Historiam suam ornaret et ditaret.

Magnopere tenemur C. Iulii Caesaris de analogia libris II, quorum fragmenta edidit Lerschius, tum Nipperdeius, postremus Schlitteus in dissertatione Halensi (1865). Scripsit hos libros ad Ciceronem anno fere 55 (vel 54). Huius opusculi paucula fragmenta reliquit nobis invidia temporum, quorum maior pars per Ciceronem, Plinium Secundum, Quintilianum, Gellium ad nos pervenit. Posteriores enim grammatici fere omnia Plinii libris dubii sermonis debent; hic fortasse eorum, qui suis oculis viderunt libellum, novissimus est. Displicebat Caesari licentia illa et diversitas in ratione scribendi obvia, amabat ordinem et disciplinam: ut legionis milites ita vocabula linguae latinae suis legibus obtemperare volebat. Analogia igitur summam imperii linguae habeto; qui scribit 'Iuno Iunonis', cur non scribat 'Calypso' 'Calypsonis'? qui 'orior ortus', cur non 'morior mortus'? Verum tamen Alexandri et Caesares populis imponere leges potuerunt, linguam suam, si voluissent, ne Herculeo quidem labore domare potuissent. Hanc regit usus et veterum auctoritas, hanc ratio, hanc aures suaviter et urbane loquentium, ut de aliis taceam.

M. Valerius Messala Corvinus teste Quintiliano I 7, 35 scripsit 'quosdam totos libellos' idque non solum de vocabulis singulis, sed etiam de litteris (§ 23 liber quidam de *s* littera laudatur). Hunc virum auctorem sequitur Plinius cum in libris de N. H. tum in libris dubii sermonis. C. Valgii Rufi quoque libri de rebus per epistulam quaesitis Plinii fons est. Sinnius Capito aequalis fere Varronis, annis tamen minor, grammaticis et historicis-antiquariis studiis operam navabat (cf. quae profert de 'pluria' apud Gell. N. A. 5, 21).

Ex Verrii Flacci libris hic primum commemorandi sunt libri de orthographia, quos adhibuerunt Plinius et Quintilianus, post Terentius Scaurus et Velius Longus; ex fontibus secundi ordinis vel epitomis Charisius et Diomedes omnia deduxerunt.

Antequam ad Plinii libros aggredior, restat ut de M. Valerio Probo Berytio et de Remmio Palaemone pauca dicam. De ceteris ludi magistris et magistellis grammaticisque, quorum operum aut nihil superest aut certe nihil eius modi, ut ex eo lingua latina magnos fructus perceperit, Suetonii observationes in libello 'de grammaticis' sufficiunt. Maxime interest nostra ut haec saltem probabilia esse viri docti concedant: 1. Plinium Secundum ex Valerio Probo aliquid descripsisse non constare, neque ullum certum vestigium indicari posse, 2. Valerium Probum Berytium, qui teste Suetonio reliquit 'non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui', quae observationes aut per lectiones eius a sectatoribus verbis propagari vel magistro disputante in codicillos illatae ad alios pervenire potuerunt, non tamen curavisse aliam partem grammaticae, nisi quae versabatur in emendandis, distinguendis, annotandis scriptoribus. Ex eo sequitur ut qui historiam grammaticae latinae describant, Valerii Probi nomen sine magno detrimento praeterire possint. 3. Testimoniis Gellii in Noctibus Atticis fidem non esse habendam, quippe qui, si quid profert, aut se 'audisse' profiteatur aut lectori det verba (De Valerio Probo Berytio p. 9—12). 4. Commentarium in Vergilii Bucolica et Georgica non esse M. Valerii Probi Berytii (de qua re cf. dissertatio B. Kübleri, 1881 Berolini). 5. Plures libellos nomine Probi esse ornatos, qui neque veteris illius neque iunioris esse possunt (cf. Studia Gelliana p. 25). De aliis locis permultis, de quibus in libello meo De Valerio Probo fusius dictum est, hoc loco non dicam. Spero alios his fragmentis Plinianis cognitis hanc quaestionem iterum suscepturos, ut deinde appareat quid cogitandum sit de illo Probo, qui centies apud Charisium, Diomedem, Priscianum laudatur. Equidem nullum fragmentum eruere potui, sive Plinii nomine erat ornatum sive certa vestigia originis Plinianae in fronte gerebat, in quo Probi manum agnoscere mihi contigit. Et Plinius auctores suos indicare non veretur, quod et ipse testatur in praefatione N. H. 21 'est enim benignum . . . . . et plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris'.

Quod ad Remmium Palaemonem, animadvertendum est

Remmium artem grammaticam scripsisse in usum puerorum, ut si ambiguum esset quaerentibus uter alterum adhibuerit, iam Palaemonem digitis monstraremus. Per Plinii studia, quibus quae in lingua latina erant dubia vel dubiis similia, certis regulis confirmata sunt, cum alia aeque fluctuantia aut rationis lege, aut veterum auctoritate, aut usu tyranno, aut aurium iudicio, suam formam, suam significationem adepta sint, factum est, ut tanti rivi aperirentur, ex quibus sua quisque posset haurire. Erat tum primum materia parata ea, unde 'artem' conderet Palaemon, qui tamen et graeca exemplaria versabat si quidem Palaemoniana continet Quintiliani libri I c. 4, ubi § 20: „alii tamen ex idoneis dumtaxat auctoribus octo partes secuti sunt, ut Aristarchus" (sic etiam Dionysius Thrax) „et aetate nostra Palaemon" (Uhlig, de Dionys. Thrace, App. p. XIV et Praef. p. VI). Plinii libros Palaemoni praesto fuisse demonstrant loci Charisii et Diomedis consimiles (Ch. 225, Diom. 415), ubi Palaemon enumerat coniunctiones, Plinii sententiam laudans. Quaeramus primum de Palaemonis vitae tempore vel ultimis finibus. Ordimur a testimonio Hieronymi, qui chron. ad a. Abr. 2064 = 48 a. C. n.: 'Palaemon Vicetinus insignis grammaticus Romae habetur'..... scribendo nos admonet de eo testimonio, quod Suetonius dicit 'de grammaticis': . . . manumissus docuit Romae ac principem locum inter grammaticos tenuit, quamquam infamis omnibus vitiis, palamque et Tiberio (14—37) et mox Claudio (41—54) praedicantibus nemini minus institutionem puerorum vel iuvenum committendam. Apparet Persium (cf. vitam eius), qui vixit a. 35—95 discipulum huius viri esse potuisse; at si iam Palaemonis mores a Tiberio notati sunt, qui a. 37 obiit, regnante eo iam ad annos maturos pervenisse grammaticum elucet, ut anno 37 non minorem annos XX natum eum fuisse veri simile sit. Itaque Palaemonem aut ultimis Augusti imperatoris annis aut primis Tiberii lucem vidisse credimus. Sic Persius a. 35 natus puer magistrum audivit Palaemonem, qui tunc sex vel septem lustra condiderat. Eodem quo Persius tempore Quintilianus, a. 35 natus, in subselliis apud magistrum sedebat. Libros dubii sermonis Plinius edidit a. 67. Itaque tempora non obstant, quominus credamus Palaemonem legisse libros dubii sermonis. Extant plura de Palaemone testimonia, quae non multum adiuvant.

Iam pervolitavimus historiam grammaticae antiquae usque ad tempora Pliniana. Quis non videt quanta laboremus Charybdi? Hic nomina inania sunt, illic fragmenta sine nominibus, hic nominibus clarorum virorum gaudemus, quorum opera tempus vel improba sedulitas grammatistarum dilaceravit, illic de temporibus vitae nonnullorum nec vola nec vestigium. Mene incepto desistere et tanti viri operis frustula, qualiacumque sunt, relinquere inter istam farraginem grammaticorum infimae aetatis? Non desistendum conatu, sed id nitendum, ut hi studiorum nostrorum fructus ad tales quaestiones quamvis molestas dirimendas alios invitent.

II. de Plinii Secundi libris grammaticis.

De Plinii librorum grammaticorum reliquiis sic disputaturus sum, ut primum huius operis fata enarrem, sedes fragmentorum indicans, deinde per multa saecula intermissa in hos libros studia percurram a Lerschio incipiens; de ipsis reliquiis dicam in adnotationibus, quas partim in calce singularum paginarum, partim in fine huius libelli adieci. C. Plinium Secundum rebus grammaticis operam dedisse testatur ipse in praefatione N. H. § 28: „ego plane meis adici posse multa confiteor, nec his solis sed et omnibus quae edidi, ut obiter caveam istos homeromastigas (ita enim verius dixerim) quoniam audio et Stoicos et Dialecticos, Epicureos quoque (nam de grammaticis semper expectavi) parturire adversus libellos quos de grammatica edidi et subinde abortus facere iam decem annis, cum celerius etiam elephanti pariant . . .“ Alterum testimonium est Plinii Caecilii Secundi in Ep. III 5 ad Baebium Macrum, quae continet catalogum operum Plinii maioris: „Dubii sermonis octo: scripsit sub Nerone novissimis annis, cum omne studiorum genus paulo liberius et erectius periculosum servitus fecisset“. ʻLibellos de grammaticaʼ et ʻdubii sermonis octoʼ eosdem esse negavit olim D. Heinsius noster in ʻlaude asiniʼ (ed. Elz. p. 104); meliora docuit G. I. Vossius in libris illis de analogia et aliis locis.[1]) Alios titulos commemorant Priscianus et Gregorius Turonensis, ille ʻPlinius Secundus in I artium (p. 233 H.)ʼ, et ʻP. S. in I artis grammaticaeʼ (p. 260 H.), hic in praef. librorum, qui ʻde vita patrumʼ in-

1) de anal I 36, II 6; de historicis lat. I 29; inst. orat. V 6.

scribuntur, hoc titulo utitur 'P. in tertio artis grammaticae libro'. At idem Priscianus p. 594 dicit: 'teste Plinio, qui hoc in II sermonis dubii ostendit'. Plinii libri dubii sermonis centies laudantur a Charisio, qui ipse ex vetustioribus fontibus hausit. Hic titulus maxime congruit cum titulo Plinii Caecilii epistulae, ut hunc genuinum esse nostra aetate adhuc nemo negaverit. Accedit quod in praefatione H. N. non ipse titulus est, sed solum significantur libri quidam, quos de grammatica edidit. Constat autem praefationem illam scriptam esse anno 77; quoniam philosophos et grammaticos iam decem annos contra hos libros parturire ipse profitetur, anno 67 fere libros grammaticos editos esse veri simile est. i. e. 'sub Nerone novissimis annis'.

Atque quot et quantis negotiis destrictus, quot et quanta opera scripserit Plinius non ignoramus. Scimus Plinium totum diem legisse, totum excerpsisse, totum adnotavisse; eum nihil legisse quod non excerperet, arbitrari omne tempus perire, quod studiis non impenderetur. Iam mille habemus argumenta, quibus demonstrari potest eum ex quolibet libro fere omnia quae contineret magna parva protrahere vel ei sucum et sanguinem exsugere solitum esse: distribuebat igitur, quae invenerat, in suas quaeque sedes aut locum eundem occasione oblata tum hoc tum illo consilio ex horreis depromebat. Quod ante omnia passi sunt libri Varroniani sicut et Gruppius in comm. Momms. p. 550 et Cichorius in comm. Ribbeck. p. 415 singulari sagacitate demonstraverunt. De eadem re ipse disputavi in Stud. Gellianis p. 30 et in Philologo N. F. VI 3, p. 506—513. In N. H. multas res Romanis inauditas tractabat, multas etiam peregrinas; quam ob rem nova vocabula in latinam linguam introducere, aliis novas significationes tribuere aut ex analogia eorum, quae iam usu erant recepta, alia fingere coactus est. Sed haec cum ad rem propositam nihil faciant, in medio relinquo; quamquam nonnunquam in discernendo de fragmenti alicuius origine non parvo erat adiumento. De lexicologia Pliniana hoc saeculo unus omnium optime scripsit satisque magnam collegit materiam Wannowski in programmate rarissimo gymn. quod Posen in urbe est, a. 1847. Qui, ut facile intellegitur, nihil aliud nisi libros N. H. investigavit. Habemus nunc reliquias etiam librorum grammaticorum, sed ita traditas, ut quid Plinii, quid excerptorum sit plerumque non possit discerni. Itaque quanta

prudentia et diligentia agendum sit, cum huius operis vocabula arbitrorum loco auxilio arcessimus, vix est quod moneam.

Librorum antiquissimum vestigium post Palaemonem invenitur apud Quintilianum in eo capite quod est 'de grammatica' (I 4—8). Nettleship (Journ. of phil. XV 200) putat priorem partem huius 4. capitis (§ 7—17) et capitis 7 (§ 4—28) paucis exceptis a Verrii Flacci opere 'de Orthographia' esse ortam; idem contendit libri I caput 5 § 54—I 6 § 28 Plinio tribuendum esse. Neque tamen Verrius proprius auctor est, sed per artem Palaemonis, magistri Quintiliani ut videtur, ex magna parte in Quintiliani librum transiit haec doctrina (ibid. p. 211). Hoc recte vidisse virum de litteris latinis bene meritum, lugubri eheu nuperrime fato cum magno multorum dolore nobis ereptum, nemo non vidit. Praeter ea quae ille profert argumenta, alia sunt haud sane spernenda. Extant illic profecto Palaemoniana (cf. Marschall, de Palaemonis libris gramm., Lipsiae 1887 p. 9 sq.), extant item Pliniana, adeoque mixta sunt, ut non facile ea ubique seiungas. Manum Plinii agnosco e. g. I 5, § 63 in nomine C. Caesaris (de libris analogia II), et in iis, quae sequuntur: 'sed auctoritatem consuetudo superavit', quibuscum conferas Ch. 79, 3: 'sed multa iam consuetudine superari' (Pliniana) et Ch. 127, 18 de eadem re 'consuetudinem dicens (Plinius) facere hanc Callisto, hanc Calypso'. Tum magni pretii sunt auctores, quos Quintilianus hic illic tangit eos dico, qui in libris solis dubii sermonis nec apud alios grammaticos inveniuntur velut Labienus in oratione in Pollionem (I 5, 8) (cf. Philol. VI 3, 508), et Sisenna (Quint. I 5, 14) et Messala (I 5, 15) et Varro 'in eo libro, quo initia urbis Romanae' enarrat (I 6, 12). Hoc unum tamen pronuntiare licet Quintilianum ex quibusdam libris (Plinii et Palaemonis) haec capita composuisse, ut in confirmando ea, quae certo scimus, idonei sint testes, in fragmentis ipsis expiscandis et distribuendis non multum valeant. Inde ad A. Gellium transimus, qui Plinii libros dubii sermonis legere potuit et legit fortasse, si quidem illa ex C. Caesaris de analogiae libris sumpta testimonia non alii auctori sunt tribuenda. De hac re conscripsi Studia mea Gelliana et Pliniana, et quid hoc libello efficere studuerim ex hac editione apparet. Itaque quod valet in Quintilianum, idem valet in Gellium. Neque multum proficimus ex Capri fragmentis, quem Plinii libros adhibuisse scimus (Neumannus p. 37). Plurimis locis eadem observatio

Plinii simul et Capri nomine ornatur, ut ex hoc labyrintho vix incolumis quisquam evadat. Capri fragmenta nuper edidit G. Keilius, summi patris filius, cuius observationum in hac editione rationem habuimus (cf. Diss. Halenses X 1889 p. 245).

Sequitur Iulius Romanus, cui per Charisium maiorem fere Plinii librorum reliquiarum partem debemus. De hoc grammatico egregius extat libellus Froehdii, de C. Iulio Romano Charisii auctore (Lipsiae 1892). De Plinio Secundo loquitur p. 617—632. Romanus postremus, quantum scimus, libros dubii sermonis integros vidit; qui post eum scripserunt ex fonte primario non iam sua libabant. Itaque Plinii librorum antiquissima testimonia, quibus fidem habere aequum est, sunt apud grammaticum saeculi fere tertii, cuius operis lacerati Charisius (s. IV) servavit fragmenta. Charisius igitur totius huius editionis quasi fundamentum est et certum subsidium. — Nonium Marcellum ex ipso Plinio suam doctrinam, quantulacunque est, exscripsisse vix credibile est. Certum est in capite de indiscretis generibus multa Pliniana inesse. Illis temporibus autem Plinii librorum iam saepius erant excerpta facta, ut a Iulio Romano et Flavio Capro. Pliniana etiam in capite IV de varia significatione sermonis latere suspicor. Quibus auxiliis hoc tempore locos Plinianos apud Nonium explorare cogimur, his nescio an nihil lucremur. Venimus ad Charisium, Diomedem, Servium, quorum primus ex Romano, Palaemone (ex utroque Pliniana sumpta sunt), Comminiano, alter ex Charisio et aliis (Palaemone, Terentio Scauro), tertius ex ignotis fontibus Pliniana hausit. Diomedes praeter Charisium ipsum etiam eius fontem primarium inspexit, quod Ieepius et in Mus. Rhen. 44 (1889) et nuper in libro suo Zur Geschichte der Lehre von den Redetheilen bei den lateinischen Grammatikern p. 56 u. s. w. satis firmis argumentis exsecutus est. Anno fere 400 scripsit Papirianus, cuius libri de orthographia excerptum extat apud Cassiodorum (K. VII 158); in hoc libro pauca ex Plinio petita inveniri dicit Neumannus p. 55 sq. Saeculo fere quinto exeunte et sexti priore parte Priscianus, Cledonius, Pompeius florebant. Quo longius progredimur eo magis periculum est ne Pliniana aliena doctrina commisceantur vel obscurentur. Quamquam ad ultimos antiquitatis fines appropinquavimus, Prisciani hereditas Pliniana non aspernanda est. Crebro incidimus in doctrinam Plinii subtiliorem et in auctores illos, quibus unis Pliniana nonnunquam deteguntur.

Verumtamen varia doctrina tot scriptorum undique congesta vestigia singulorum adeo delevit, ut quod nova fontium Plinianorum copia lucrati esse arbitramur, id incerta auctoritate amittamus. Restant praeterea fontes anonymorum et minores ut Probi Institutiones (K. IV), ut libelli de nomine excerpta (K. IV 207), frgm. Bobiense de nomine et pronomine (K. V 555), de dubiis nominibus (K. V 571), Ars Bernensis (Anecd. Helv.), Placidi glossae (p. 42), praefatio operis Gregorii Turonensis (p. 42), Audacis excerpta (K. VII).

Quieverunt multa saecula reliquiae Plinianae dispersae usque ad nostra tempora. Grammaticae antiquae studium Lerschius resuscitavit, cuius opera et Plinii Secundi merita in luce sint collocata (Sprachphilosophie der Alten I p. 180, II 158). Quae studia tamen florere incipiebant tum demum cum grammatici latini curis Keilii, Hertzii, Hageni sic prodibant, ut doctorum disquisitionibus succurrere possent supellectile critica adiuncta praefationibus in quibus de codicibus, de auctoribus aliisque rebus disputatur praemissis.

De Plinii libris primus disputavit Alfredus Schottmuellerus, in dissertatione Berolinensi a. 1858, qui postquam de diversis Charisii fontibus fusius dixit (de Palaemone erravit), a p. 32 Plinii reliquias apud Charisium I 17 diligenter perpendit et de consilio et ordine maxime libri VI dubii sermonis (de ultimis nominum syllabis et declinationibus eorum) valde probabilia in medium profert. Observavit ordinem quendam in titulis Plinianis ad casus singulos digestos, quem a Romano fere integrum relictum esse iure autumat, unde apparet Romano Plinii librum VI ob oculos versatum esse. Qua via omnes observationes, quae ad ablativum casum sing. num. 3. declinationis spectant Plinio attribuit (l. l. p. 35 sq.). Verba autem ipsa a Plinio tradita esse negat. Verum esse concedo Plinii titulos plerumque esse mutatos, multos locos tamen vestigia Plinianae originis retinuisse ex comparatione aut similium aut eorum titulorum, qui ex eodem auctore descripti esse nequeunt, elucet. Plinius vel in laceratis fragmentis non plane interiit. Discimus a Schottmuellero (p. 39) omnes titulos, in quibus Caesaris de analogia librorum fiat mentio, e Plinio translatos esse.

Non minus haec studia Pliniana sublevavit Augustus Wilmannsius in libro supra laudato. Persaepe enim Plinius re-

fugit ad libros Varronianos inprimis grammaticos, maxime ad librum XI de l. l. In hoc libro erant omnia, quae ad declinationes vocabulorum spectabant (cf. Wilmanns, praef. p. 31 sq.). Praeterea adhibuit Plinius libros 'de utilitate sermonis' (Ch. 123, 3) et 'de sermone latino' plurimis locis, ex quo opere multae de orthographia observationes transibant in libros Plinianos. Denique illum locum apud Charisium 91, 26 ex libro II de similitudine verborum cui tribuam nisi Plinio nescio. Manifestum est in fragmentis Plinianis multa Varroniana inveniri, quae nisi colorem Plinianum corrumpere velis, non removenda sunt. Ad doctrinam Plinii vel ad praecepta, quae dabat pertinet dissertatio D. Detlefseni in Symbolis philol. Bonnensium p. 712 sq., in qua inter alia demonstratur Plinium sua praecepta de casibus in Naturalis Historiae libris non semper esse secutum. De *u* geminato in vocabulis 4. declin. et in aliis vocabulis, cuius consuetudinis in codicibus Plinianis certa vestigia sunt, apud antiquos grammaticos nihil aliud habemus nisi testimonium satis incertum (cf. Brambach, Neugest. p. 131). Plinii praecepta grammatica quae ad orthographiam pertinent diligenter perscrutatus est Brambachius in libro, quem modo laudavi, anni 1868. Iudicium autem quod de Plinii studiis tulit nimis durum est. In eruendis fragmentis post Schottmuellerum si quisquam longo temporis intervallo laudabili diligentia studium operamque impendit, Hermannus Neumannus est, qui a. 1881 edidit libellum 'de Plinii dubii sermonis libris Charisii et Prisciani fontibus'. Nam etsi Kirchneri in Servium studia (scripsit enim 'de Servii auctoribus gramm., quos ipse laudavit' in Fleckeis. Ann. Suppl. 8 p. 469) non parvi facio, quippe qui et Pliniana a Servio servata indicaverit, hoc omnium certissimum est, Neumanni studiis fragmentorum numerum valde auctum esse et nova itinera ad frustula plura investiganda patefacta. Animadvertit Neumannus complures scriptores ab uno Plinio laudari.

Unde et Neumanno et aliis contigit Plinio adscribere magnum numerum fragmentorum, quae nemo fere pro Plinianis habebat neque unquam ei tribuenda esse cogitaverat. Praeterea animadvertit Plinium interdum Graecos imitari idque ante omnia e doctrina de adverbiis posse demonstrari (Neum. p. 34 sq.), ceterum Palaemonem a Plinio pendere (p. 32 sq.). Post Neumannum edidit studia sua Pliniana in programmate gymn. Nordhusani 'de Plinii Secundi studiis grammaticis'

Schlitteus (1883). Hanc disputationem ipse recensui in Philol. Rundschau V 15 p. 465 (1884); huius libelli altera pars quae continet observationes de disciplina Pliniana mihi longe optima videbatur.

Mihi in his studiis versanti de M. Valerio Probo Berytio quae vulgo sentiebant viri docti denuo percensenda esse videbantur, ipsius opera si qua erant quam certissime indicanda, quia summo viro adhuc permulta adscripta erant, quae re vera aut Probo illo iuniore erant dignissima aut anonymi cuiusdam cura erant confecta aut animi sagacitate nonnullorum orta. Et quamquam omnibus locis Probianis sedem suam designare mihi non contigit, hoc saltem me demonstrasse profiteor cum M. Valerio Probo Berytio Plinii libros dubii sermonis nullo vinculo necessitudinis esse coniunctos. Hoc magni erat momenti iis, qui collecturi et edituri erant fragmenta Pliniana, ut quibus opera illa Probiana, quae in animis complurium inveteraverant, magnas pararent difficultates et editioni ipsi magno essent impedimento.

At si quis putat fieri posse, ut Plinius paucula receperit in suos libros per amicos Valerii Probi (p. XVI) . . . per me licet. Ego in parvis haerere nolo magna praetermittens. Neque imparatus hoc iudicium de Probo fero, sed per multos annos hanc rem etiam atque etiam ponderavi, ex omnibus partibus eam consideravi, varias quaestiones mihi imponens, tum haec, tum illa mihi ipsi obiciens, virorum doctorum sententiarum non ignarus. Qui librorum dubii sermonis cognoverit et haec omnia perlegerit fortasse manus dabit. Et quae ipse probare nequivi vel omnino non probari posse censeo, spero ex iis alios se extricaturos; si autem hi quoque argumentis carebunt propter magnas difficultates, quae in tali re necessario extant, ratio evincat.

De M. Valerio Probo Berytio scripsi in programmate gymn. Groningani 1886. Eodem fere tempore Nettleship, vir de grammaticis latinis optime meritus, de hac re disseruit in the Journal of Phil. XV 189 sq. 'the study of latin grammar among the Romans in the first century a. d.'. His studiis ad prelum missis legebat vir singulari liberalitate meum libellum de Valerio Probo, ad quem in fine suae disputationis quasdam annotationes scripsit; de Plinio quid sentiret exposuit p. 201 sq. Pliniana apud Quintilianum inveniri demonstravit idem, ut supra dixi. Arbitratur doctus Britannus totum

opus ex magna parte niti in Varronis, Caesaris, Verrii Flacci libris. Divisionem quam instituit N. p. 205, non secutus sum: Plurimos locos e libro VI sumptos esse scimus, unum e libro V (Ch. 79, 2) de *i* geminato in genetivis, qui -ius terminantur, unum e libro II (Ch. 77, 20). Itaque in distribuendis locis singulis libris sua quaeque designare posses, si librorum numeri omnibus qui Plinii sunt locis essent insigniti. Quoniam longe maxima pars numero caret, atque non pauci loci ipso nomine auctoris, alii non sine quadam dubitatione Plinio attribuuntur, omnes reliquias certo ordine et consilio suae classi inserui, ut quid Plinius de diversis partibus orationis, de nonnullis quaestionibus ad linguam latinam pertinentibus, de declinationibus et coniugationibus, de genere et numero et de significatione verborum aliisque multis rebus sentiat facile perspiciatur. Quod ad dissertationem Marschalli de Q. Remmii Palaemonis libris grammaticis (Lipsiae 1887), quamquam hunc grammaticum nimio honore affecit, dignus est libellus, qui in his studiis interdum evolvatur. Artem Palaemonianam velle restituere ante quam de Plinianis reliquiis omnia sunt dicta, periculosae plenum opus aleae est. Itaque multa video a Marschallo Palaemoni esse imposita, quae certis argumentis Varroni vel Plinio vel aliis nos debere possis affirmare. Iam vero ad Boeltii dissertationem aggredimur (in Fleckeis. Ann. 5 p. 401, a. 1888): die Quellen von Charisius I 15 und 17. Is partes horum capitum, ut anatomicus tenuissimas venulas, summa cum sagacitate et diligentia detegit et perquisivit.

Tota tamen quaestio idcirco implicatior et obscurior fit, quod praeter illos auctores, quibus adhuc contenti erant viri docti, duo alii in scenam prodeunt Anonymus de Latinitate et Anonymus de Analogia, quem ex Plinio hausisse Boeltius existimat. Laudandum sane est tantum studium tantusque verum inveniendi amor. Verum tamen cum ad duos anonymos confugere opus est, iam ultro confitemur non via trita sed ambagibus et per ardua veritatem vi quadam protrahi. In eo rerum statu qui est in his capitibus Charisianis nostra non interest, cum locum Plinianum certo auctori, sive Romanus est sive Palaemon, adscribere non possumus, utrum ex hoc vel illo anonymo sumptus sit an plane de auctore desperemus. Hoc vero effecit Boeltii disputatio, ut et alii et ego acrius intenderemus oculos, ut nonnulla, quae certa viderentur, satis adhuc incerta esse atque Charisii dicendi proprietates diligenter

pertractandas fateremur. In hac re quantae difficultates obversentur nemo est quin intellegat. De tota ratione dicendi Charisiana scribere stulti erat. Sed Plinii sermonis, quantum fieri potest, vestigia colligere, utpote fontis antiquissimi, praeterea variis notis praeter alios insignis, hoc aliquid utilitatis praebiturum videbatur. Et praebuit sane, at simul didicimus quanta libidine grammatici grassati sint in excerpendis aliorum libris, quantum commixti sint et conturbati nonnulli loci Pliniani, quantopere denique vereri debeamus ne non solum multa incerta sed etiam falsa multa in reliquiarum collectionem subrepant. Claudit totum agmen Froehdius, vir singulari industria, qui scripsit de C. Iulio Romano, Charisii auctore (Supplem. Ann. phil. 1892), deinde de Valerii Probi libello de nomine (Supplem. Ann. phil. 1892) et ego, qui eodem fere tempore edidi Studia mea Gelliana et Pliniana, paulo post disputavi in Berlin. phil. Wochenschr. 1892 Nr. 50, 51 de fragmentis Plinianis quae apud Nonium et Anonymum de dubiis nominibus (K. V) inveniuntur. Denique in Philologo N. F. VI 3 quam brevissime demonstravi quanta materia in hoc opus consumpta sit, quot scriptores, poetae, historici, cet. in libris grammaticis nominentur. Froehdii de Iulio Romano libellus studiorum in fontes Charisianos quasi ultima linea est; neque minus ipse in studiis Gellianis et in perquirendis Nonii libris ad tempus extremis terminis appropinquavi. Certissimum est in aliquot scriptis minoribus grammaticorum multa Pliniana inesse, ut ex bibliothecis aliquando per haec tractata nova Pliniana in lucem prolatum iri non plane desperandum sit. Ex copiis, quas habemus, omnia iam Plinii praecepta sive observationes excerptas esse, affirmare non ausim, sed illae huius collectionis opera facilius decipientur. Atque hora ruit; — iam satis temporis et operae in his studiis consumpsi alios campos peragraturus.

Fragmenta quae sequuntur pretii maxime diversi esse iam elucet. Primo loco sunt ea, quae Plinii nomine ornata tradidit Charisius, secundo quae apud eundem, sive his fere similia sunt sive auctoris Pliniani alicuius nomen aut alias notas prae se ferunt, Plinio sine dubio addicenda sunt, tertio quae inter alia Pliniana posita aliis auctoribus nulla iusta causa possunt reservari; haec excipiunt incerta et dubia, in quibus ea numerantur, quae etsi Plinianam consuetudinem et praecepto-

rum regularumque colorem agnovimus, tamen non minus commode ab iis quos ipse sequitur sumpta quam ad eius exemplum a posterioribus conficta esse possint, quorum maior pars in capitibus iis reperiuntur, quae sunt de dubiis nominum formis et de differentia verborum (p. 45 sqq.). Atque in contextu verborum hanc rationem secutus sum, ut potius paucula vocabula excerptoris intacta relinquerem quam totum locum circumcidendo mutilarem. Omnes qui fragmenta solutae orationis qui dicuntur scriptorum edunt, vereri debent ne excerptor, quae sibi displiceant omittat, quae placeant addat. Itaque tantum abest ut librorum dubii sermonis reliquias integras in lucem emittere mihi videar, ut ultro me magni operis minusculam partem intortam et conturbatam grammaticorum manibus offerre profitear. Quamquam et sic quidem post Varronis librorum reliquias inprimis digna sunt, quae in unum colligantur. Adnotationes criticae quae dicuntur intra suos fines coercendae esse mihi videbantur. Plerumque tum demum codicum scripturam adieci, aut ad Keilii apparatum criticum relegavi cum non inutile vel necesse erat scire varias lectiones. Quae aut alii aut ego emendavimus, ut par est, suo loco perscripsi.

C. Plinii Secundi
librorum dubii sermonis VIII reliquiae.

I. De litteris.*

(De inventione litterarum fragmenta Pliniana cf. Adnotationes = *)

Prisc. 29, 8 In consonantibus quoque multae fiunt similiter commutationes. *L* triplicem, ut Plinio videtur, sonum habet: exilem, quando geminatur secundo loco posita, ut ille, Metellus; plenum, quando finit nomina vel syllabas et quando aliquam habet ante se in eadem syllaba consonantem, ut sol, silva, flavus, clarus; medium in aliis, ut lectum, lectus. transit in *x*, ut paulum, pauxillum, mala maxilla, velum vexillum; in *r* ut tabula taberna.

Prisc. 29, 15 *M* obscurum in extremitate dictionum sonat, ut templum, apertum in principio, ut magnus, mediocre in mediis, ut umbra. transit in *n*, et maxime *d* vel *c* vel *t* vel *q* sequentibus, ut tantum tantundem, idem identidem, eorum eorundem, num nnncubi et, ut Plinio placet, nunquis, nunquam, anceps pro amceps.

Prisc. 31, 1 (*N*) transit in *m* sequentibus *b* vel *m* vel *p* auctore Plinio et Papiriano et Probo, ut imbibo, imbellis, imbutus, immineo, immitto, immotus, improbus, imperator, impello.

Prisc. 26, 16 *O* aliquot Italiae civitates teste Plinio non habebant, sed loco eius ponebant *u* et maxime Umbri et Tusci.

Ch. 135, 13 Laterale an laterare? ubi Plinius eodem libro VI ‘si *r* littera praecesserit in quacumque syllaba, sequi debet *l*, ut augurale. contra si *l* praecesserit, sequi debet *r*, ut molare’.

Ch. 118, 33 Aqualium an potius aquarium dici debeat quaerit Plinius Secundus et putat, ut laterale laterarium, scutale scutarium, et manuale saxum, manuarium vas, proin aqualis aquarium dici.

K V 185, 18 .... sed Plinius Secundus in libris dubii sermonis ita expressit: 'mille non debemus aliter dicere, nisi per geminum *l*'.

Ch. 75, 4(?) Servus, cervus, vulgus a quibusdam per *u* et *o*, videlicet quia duae vocales geminari, ut unam syllabam faciant, non possunt. sed per duo *u* scribi debent, quia et sic sonant et ambiguitas casuum tollitur et unum *u* loco consonantis accipitur.

Ch. 130, 29 Frus, haec frus, quia sic ab Ennio est declinatum annalium libro VII russescunt frundes, non frondes. 'fros sine *n* littera, ne faciat' inquit Plinius 'frontis', quasi non dicatur nisi frons *τὸ μέτωπον*, quod se probare dicit, quoniam antea cum *u* non recipiebat *n*, sed nec cum *u* verteret in *o*: Varro rerum rusticarum libro I *ulmos et populos, unde est fros*, idem antiquitatum Romanarum libro XV *fros faenum messis.*

Ch. 107, 33(?) Pecunia per *c* non per *q* scribenda est ⟨quoniam a pecore dicta est⟩, et quoniam *q* litteram nusquam volunt poni alias nisi ut duae vocales sequantur quarum prior sit *u*.

II. De declinatione.

a. De genetivo singulari in *as* exeunte.*

Ch. 107, 9 Pater familias et mater familias antiqui magis usurpaverunt, propterea quod nominativo singulari *s*

---

27 pater familias] p. 3, 11 *rei unitate* N; suspicor *rei unicae* (cf. Char. 90, 9 *quoniam unica res est*). Nam non necesse esse existimat Plinius uni rei soli ut familiae et plebi pluralem adhibere. Praeterea lego p. 3, 12: *et posset patres ... ut tribuni ...*

27 pater familias] cf. Serv. ad Aen. XI 801, qui tamen ex ipso Plinio non hausit, K IV 211, 27, Varro, de l. l. 8, 73. Zur

litteram adiciebant, ut facerent genetivum, haec familia, huius familias, haec Maia, huius Maias. quam declinationem et Sallustius in III secutus ait *castella custodias thensaurorum in deditionem acciperentur*. sed emendatius custodiae Maiae et familiae dicimus. quod ne celebraretur Sisenna effecit. ait enim eum qui diceret pater familiae etiam pluraliter dicere debere patres familiarum et matres familiarum. quod quoniam erat durum et longe iucundius patrum familias sonabat, etiam pater familias ut diceretur consuetudo conprobavit. et tamen ratio Sisennae non est valida. nec enim necesse est pluralem numerum rei unicae adhibere. nam familia est ut plebs, et posset patres familiae dici ut tribuni plebis. praeterea praefecti alae et alarum dicuntur, urbis et urbium, nec tamen magistri ludorum et praefecti aerariorum sed tantum modo singulariter magistri ludi et praefecti aerari. et ideo etiam *matres familiae* Varro dixit de scaenicis originibus primo et tertio et Gracchus *patres familiae* non familiarum.

Ch. 120, 8 Augustas. cur pridie Kal. Augustas et non Augustarum dicimus? ubi Plinius Secundus eodem libro VI ʻ*a* finita nomina singulari nominativo veteres casu genetivo *as* syllaba declinabant, ut Maia Maias. nam et Sisenna inquit eum qui diceret pater familiae, patrum familiarum oportere dicere. itaque, patrum familiarum ⟨cum⟩ consuetudinis taedium respuerit, et ⟨pater familias⟩ dici perseveratum estʼ.

b. De genetivo singulari in *ii* exeunte.*

Ch. 78, 4 ⟨Lucius et Aemilius et cetera⟩ nomina quae ante *u* habent *i* duplici *i* genetivo singulari finiri

---

28 Lucius et . . .] locus corruptus de quo vide Keilii adn.

Quellenanalyse, Philol. II 2, 259; Plinius censet consuetudini et suavitati aurium summam esse tribuendam (Ch. 123, 3). — 19 Augustas] Ch. 18, 19, ubi idem vocabulum ʻperseverareʼ Pliniana prodit. Sed lemma ʻAugustasʼ ex variis pannis consutum esse videtur. — 28 Lucius et . . .] Bramb. p. 189, 193;

debent, ⟨ne⟩ necesse sit adversus observa⟨tionem nominum⟩ nominativo minorem fieri genetivum; idque Varro tradens adicit ⟨vocativum quo⟩que singularem talium nominum per duplex *i* scribi debere, ⟨sed propter differentiam⟩ casuum corrumpi. ⟨Lucilius tamen et per unum *i*⟩ genetivum scribi posse existimat. ait enim *servandi Numeri, numerum ut servemus ⟨modumque⟩*. numquam enim hoc intulisset, nisi et Numerium per *i*, huius ⟨Numeri fa⟩ciendum crederet. denique et in libro VIIII sic ait, *porro hoc, ⟨filius Luci⟩,* | *feceris i solum, ut Corneli Cornificique*, et paulo post ⟨*pupilli*⟩ *pueri Lucili, hoc unius fiet.* et Plinius quoque dubii sermonis V adicit ⟨esse qui⟩dem rationem per duo *i* scribendi, sed multa iam consuetudine superari. ⟨sane⟩ opinionem de vocativo casu traditam infirmat, quod hic pius in vocativo pii faciat. adeo enim [non] semper vocativus casus eandem ⟨scrip⟩turam patitur quam genetivus.

Ch. 122, 6 Aurelii genetivus non tantum crescit cum nominativo, sed ut par sit dativo casui, ut Plinius eodem libro scribit.

Ch. 141, 6 Patavi Maro, *ille urbem Patavi,* pro Patavii. par enim genetivus esse ⟨debet⟩ nominativo, nec minor, ut huius imperii et ingenii.

c. De genetivo singulari dubio* (cum differentia vocabulorum nonnunquam coniuncto).

Ch. 144, 30 Turbo Turbonis, si proprium sit hominis nomen; turbinis, si procellam voluerimus exprimere, aut in eo, inquit Plinius, qui est in lusu puerorum. sed Caesar de analogia II turbonem, non turbinem etiam in tempestate dici debere ait, ut Cato Catonis, non ut homo hominis.

Ch. 145, 8 Turben Tibullus *namque agor ut per plana*

---

31 turben] p. 5, 1 *turbinem vocat* legendum est.

Ch. 71, 1 et 141, 6 eiusdem regulae membra sunt. K IV 207, 11 et Froehde, Valerii Probi libellus p. 193 sq. — 26 turbo]

citus sola verbere turben; quem Maro VII turbinem vocat *tortus sub verbere turbo* et ita putant dici debere, hic turbo, quia et homo et tempestas et buxum eodem possint nominativo perhiberi.

Ch. 145, 3 'Tanaidis Varro antiquitatum humanarum XIII, non huius Tanais ut Tiberis' inquit Plinius (Ch. 89, 24; 130, 7).

Ch. 89, 24 Sarapis Sarapidis volunt grammatici genetivo casu dici, non Sarapis, quia omnia nomina Graecae figurae *is* terminata in genetivo syllaba crescere debent, ut Iris Iridis, Isis Isidis, Hymnis Hymnidis, Paris Paridis. sed cum et Latine declinari possint, non est necesse consuetudinem ratione reformare, praesertim cum adsit auctoritas. nam et Varro de vita sua non tantum huius *Sarapis* declinavit sed et *Isis,* quod paulo est durius. sed ⟨et⟩ Vergilius *Irim* dicit et *Parim* et *Tigrim* (145,3; 130,7).

Ch. 124, 5 Belidis Cinna in Propemptico Polionis .... patronymice dixit Belidis, ut urbis. at vero Maro *Belidae Palamedis* ait.

Ch. 132, 17 'Herculi pro Herculis et Ulixi pro huius Ulixis dici coeptum est' inquit Plinius eodem libro VI, 'quoniam regula' inquit 'illa, si genetivo singulari *ους* litteris nomina finientur Graeca, velut *τοῦ Εὐμένους τοῦ Διογένους*, nostros quoque huius Eumenis huius Diogenis oportet proferre'; at si *τοῦ Εὐριπίδου τοῦ Χρύσου,* tunc demum nostros *s* subtrahere debere. itaque huius Euripidi Chrysi debere censeri, ut *fortis Achati* et *acris Oronti.* sed nostra, inquit, aetas in totum istam declinationem abolevit. Achillis enim potius et Herculis et his paria per *s* dicimus.

Ch. 136, 13 Lar, si familiaris erit, genetivo Laris faciet, si Tolumni Porsennae, Lartis.

= Ch. 64, 26, K IV 210, 30, Ch. 145, 8 turben; Prisc. 207, 17 = Serv. ad Aen. I 83 (VII 378). Descripserunt haec Palaemon (cf. Ch. 64, 26) et Romanus (hoc loco) ex Plinii libris. — 5 Tanaidis] cf. Ch. 89, 24; 132, 31. — 20 Herculi] cf. Quint. I 5, 63 loco Pliniano et Prisc. 246, 16. — 31 Lar] Bölte, die

Ch. 143, 16 Supellectilis. Genetivus una syllaba crescere debet excepto hoc nomine, et quia dativo minor esse non debet et quia nominativus in *x* littera, quae duplex est, terminatur.

Ch. 70, 16 Fides cum chordam significat, huius fidis facit, cum deam, huius Fidei, quam Plautus dixerit *Fidei censebam maximam multo fidem.*

Ch. 70, 19 Pubes cum in [iuventutis] significatione lanuginis et eius partis in qua puber⟨tas est ponitur huius⟩ pubis facit; at cum aetatem significat, huius puberis. sed nec adiecta ⟨praepositione⟩ dicimus inpuberis, sed inpubis *comitemque inpubis Iuli* Vergilius dixit.

Ch. 83, 3 Iter iteris debet facere, non itineris, ne adversus rationem genetivus nominativo maior duabus syllabis inveniatur, praesertim cum itiner quoque dixerint veteres, cuius genetivus itineris erit. plurali tamen numero itinera semper dicemus. non enim, sicut huius *iteris* Pacuvius dixit, et haec itera potuit dicere.

Ch. 87, 2 Hoc femur huius femoris. sed frequenter huius feminis huic femini dictum ⟨est, et⟩ pluraliter tam femina quam femora; ideoque ⟨et Tib⟩ullus hoc ipsum erudite custodit, cum dicit *inplicuitque femur femini,* et Vergilius *eripit a femine.*

Ch. 126, 22 Domi suae Varro de sermone Latino libro V. nec enim potest adverbium dici cui suae pronomen adest. Cato, de multa contra L. Furium *domi meae saepe fuit* et est genetivus.

---

8 pubes] locus corruptus, de quo vide Keilii adn.

Quellen von Ch. I 15 und 17 (N. Jahrb. 1888) p. 422. — 1 supellectilis] Ch. 88, 10; 144, 13. Bölte p. 423. — 5 fides] cf. Non. 313, Ch. 70, 2. — 8 pubes] cf. Ch. 70, 3. — 13 iter] cf. Ch. 88, 10, genetivum nominativo maiorem duabus syllabis esse non licet. — 19 femur] = Ch. 130, 35: femini Tibullus, *inplicuit⟨que⟩ femur femini,* non femori, quasi sit hoc femur huius feminis. femen enim nominativo ut semen necdum legimus a veteribus adsertum (locus Tibulli I 8, 26 differt a loco nobis tradito).

Ch. 128, 17 Exerciti Cn. Naevius belli Punici libro I, *Marcus Valerius consul | partem exerciti in expeditionem ducit.*

Ch. 137, 30 Mantus Maro, *fatidicae Mantus*, ut Didus.

Ch. 131, 33 Hippocoon, quia istud Graecum merum nomen est Graeca lege debet genetivi casus servare rationem. nam et Maro noster *exit* inquit *locus Hippocoontis.* nam et quia *Μέμνονος* et *Σίκωνος* dicunt, nos quoque eandem *n* in nominativo litteram reservamus.

Ch. 132, 25 ⟨Hepar hepatis⟩. *ἧπαρ ἧμαρ ἔαρ ὕδωρ κρέας δέπας κέρας τέρας* ne apud ipsos quidem Graecos rationem declinationis certam tenere potuerunt.

K IV 211, 17 Fastus, id est libellus, generis est masculini et genetivo huius fasti facit. item fastus, ut *stirpis Achilleae fastus*, huius fastus facit.

Vide etiam: ʻde nominibus quartae declinationis'.

d. De accusativo singulari dubio.*

Ch. 127, 17 Didun. Ateius philologus librum suum sic edidit ⟨in⟩scriptum, ʻ*An amaverit Didun Aeneas*', ut refert Plinius, consuetudinem dicens facere hanc Callisto, hanc Calypso, hanc Io, ⟨hanc⟩ Allecto.

Ch. 118, 8 Argo, hanc Argo Varro Menippeus in Age modo *Argo citiremem.*

Ch. 129, 17 Febrim ut tussim sitim, ait Plinius. exceptis his tribus cetera accusativo in *em* exeunt (cf. Ch. 122, 29).

Ch. 126, 4 Clavim Tibullus, *hinc clavim ianua sensit. strigilim* quoque Lucilius. Varro de poematis II *lentim,* quod eorum nominum ablativus singularis in *i* exit. avem

---

5 Hippocoon] cf. Ch. 64, 23 ex Palaemone; hic locus a Romano e Plinii libris excerptus. — 18 Didun] cf. Servius ad Verg. Aen. I 601, V 45 et Quint. I 5, 63 loco Pliniano (cf. Ch. 79, 3 et Ch. 63, 26); Plinius igitur consuetudini obsequitur. — 24 febrim] Bramb. p. 176 sq., qui K V 560, 31 *quorum — Tiberim* Plinio adscribit.

autem et navem: quoniam, ab hac ave et nave faciunt, accusativus per *i* dari non potest.

Alios adiungit titulos Froehde, de C. I. R. p. 620 infra.

e. De ablativo singulari tertiae declinationis.*

Ch. 120, 17 Aedile, ab hoc aedile, non aedili, P. Rutilius de vita sua V et Varro de originibus scaenicis II *a Claudio Pulchro aedile.* quod cum ratione dictum esse monstrabis, ut ait Secundus sermonis dubii libro VI, quod nomina quaecumque genetivo singulari *is* syllaba finiuntur, exceptis his quae similiter faciunt nominativo, oportet ablativo singulari *e* littera terminari, a prudente, ab homine. quod si adicias aliquid, ⟨ut⟩ idem in eodem Plinius, per *i* debet dici, a prudenti consilio.

Ch. 120, 24 Avi, ⟨ut⟩ puppi, quoniam genetivus similis est nominativo; et idcirco non potest ad supra dictam regulam pertinere.

Ch. 120, 26 Agile, ab ⟨hoc⟩ agile. si de persona dicatur, ita ⟨dici⟩ debet: quod si rem significat, ab hoc agili dici debet, ut idem Plinius eodem libro.

Ch. 120, 28 Annalei Varro epistolicarum quaestionum libro VI *eclogas ex annalei descriptas.*

Ch. 120, 30 Agreste Sallustius historiarum I; quod idem Plinius eodem libro ‘in animali’ inquit ‘significatione’.

Ch. 121, 14 Aux⟨iliare per *e*⟩, ab hoc auxiliare ⟨de⟩ homine, ut idem Plin⟨ius eodem libro, unde exempla⟩

---

5 aedile] Lacunae signum post num. V apud K. omisi, cf. Cichorius in Comm. Ribbeck. p. 423. — 24 auxiliare] Locum corruptum emendaverunt Schottm. p. 36 et R. Merckelius (Add. et Corr. K I 608), quos secutus sum; cf. praeterea Ch. 127, 7.

4 De ablativo singulari in *e* vel *i* exeunte cf. Brambachii liber, Neugestaltung der lat. Orthogr. p. 158—175. — 14 avi] Froehde C. I. Ro. p. 619, qui hoc lemma contra Schottm. p. 38 defendit.

ablativi casus per omne specimen, et quidem quando *i*, quando *e* terminari debea⟨n⟩t, coll⟨ecta exce⟩pimus.

Ch. 121, 17 Astyanacte per *e*. quamquam enim genetivus singularis *is* syllaba finiatur, quod ⟨tamen cum⟩ alio commune non est, *e* nec *i* ablativo cludetur.

Ch. 121, 19 Aiax. ad eandem rationem id quoque pertinet nomen: Aiace ablativo; hunc tuebitur nec *i* admittet.

Ch. 121, 21 Alacer. *er* finita numer⟨o singulari⟩ casu nominativo ablativum per varias vias ducunt, ut acre accipitre* ex quibus siqua solent in nomen hominis transire, non sunt dubia.

Ch. 122, 13 Aplustre. omnium nominum quae sunt neutri generis et in *e* terminantur ait Plinius Caesarem scisse eosdem esse ablativos quales sunt dativi singulares.

Ch. 122, 16 Ar litteris nomina neutralia terminata item non minus ait Caesar, quia dativo et ablativo pari iure funguntur, ut idem Plinius scribit.

Ch. 122, 22 Avi Cicero de auguriis *omnibus avi incerta*.

Ch. 122, 23 Amni Maro, *secundo defluit amni*. ubi Plinius eodem libro ʻab antiquisʼ inquit, ʻquos Varro reprehendit, observatio omnis illa damnata est, non quidem in totum. dicimus enim, inquit, ab hoc canali, siti, tussi, febri. maiore tamen ex parte forma mutata est. ab hoc enim cane, orbe, carbone, turre, falce, igne, veste, fine, monte, fonte, ponte, strigile, tegete, ave, asse, axe, nave, classe dicimus. ac ne illa quidem ratio recepta est quam C. Caesar ponit in femininis, ut puppim, restim, pelvim*

---

19 amni] cf. Keilii adn. critica et Bramb. p. 169, 176.

3 Astyanacte] Bramb. p. 167 infra, qui locum corruptum esse suo iure censet. — 12 aplustre] Prisc. 350, 24 ʻaplustreʼ itidem quamvis faciat abl. ʻab hoc aplustriʼ, nominativum tamen plur. non solum in *a*, sed etiam in *ia* terminat ... Cicero in Arato: *navibus absumptis fluctantia quaerere aplustra.* Caesar in Arato: *fulgent Argoae stellis aplustria puppis.* cf. Neumannus p. 50. — 18 avi] locus Plinianus propter Ciceronis de auguriis librum quem laudat Plinius etiam apud Ch. 139, 11.

hoc enim modo et ab hoc cani dicemus et ab hoc iuv⟨veni, pani⟩.

Ch. 124, 14 Contubernale Pomponius in Macco milite, *cum contubernale,* inquit, *pugnavi, quia meam cenam* (?).

Ch. 124, 16 Ceriale ablativo *e* terminabitur, si homo sit, cereali, si res sit, ut fructus.

Ch. 124, 18 Consulari. numquam per *e* dari ablativus poterit, quod proprium nomen hominis non sit sed aptum homini et negotio.

Ch. 124, 20 Coniuge, quod alii rei non possit esse commune, idcirco per *e* sonabit.

Ch. 124, 21 Cicatrice sub eadem ratione censebitur.

Ch. 124, 22 Celere, si proprium sit nomen viri. Quod si femininum sive id fuerit neutrum communis generis, celeri, id est, ab hoc et ab hac celeri: Plautus in Sticho *ita celeri,* inquit, *curriculo fui.*

Ch. 124, 26 Celebre simile dubiis est, ut sub *a* littera diximus, quamquam plurali nominativo in *res* exeunt, ut salubre, palustre, pedestre, terrestre (Ch. 121, 21).

Ch. 125, 9 Constante. cum cognomen erit, hoc velut eius modi a praesente, innocente, sapiente, nitente, prudente, ⟨clem⟩ente dicemus, ait Plinius, nec interest *ens* an *ans* nominativo singulari claudantur. sed enim P. Rutilius de vita sua II *animo* inquit *constante.*

Ch. 125, 13 Continenti Varro de gente ⟨populi Romani⟩ libro I *in terra continenti.*

Ch. 125, 15 Candenti Varro rerum rusticarum III *candenti ferro.*

(Ch. 126, 4 Clavim Tibullus, *hinc clavim ianua sensit.*

---

7 consulari] Ch. 138, 4 *navali* et lemmata: *aedile*; *decemvirali, duumvirali* Ch. 127. — 10 coniuge] Bramb. p. 165, qui laudat K V 560, 12; in hoc fragmento Plinii doctrinam inesse hodie satis constat. — 17 celebre] Ch. 121, 21 alacer. De consilio atque ordine, quo Plinius singula exposuerit, cf. Schottm. p. 33. — 20 constante] Bramb. p. 169 infra, de ablat. adiectivorum et participiorum in *ans* et *ens*. — 29 clavim] Num omnia Pliniana sunt? Bramb. p. 169. Altera pars huius lem-

strigilim quoque Lucilius. Varro de poematis II *lentim,* quod eorum nominum ablativus singularis in *i* exit. avem autem et navem: quoniam ab hac ave et nave faciunt, accusativus per *i* dari non potest.)

Ch. 126, 9 Diligente. ‘Verrius Flaccus’, inquit Plinius, ‘eorum nominum, quae *ns* finiuntur casu nominativo ablativus in *e* dirigendus est’. itaque Caesar epistularum ad Ciceronem *neque* inquit *pro cauto ac diligente se castris continuit.*

Ch. 127, 7 Dapsile, ab hoc dapsile, si de homine dicas, *e* littera ablativus est terminandus; dapsili, si rem significabis, ab hoc dapsili.

Ch. 127, 9 Decemvirali. ablativus semper hic erit nec in *e* litteram transiet, ut ab hoc consulari, quod honorum nomina propria hominum esse non possunt.

Ch. 127, 11 Duumvirali. id quoque ex supra dicta ratione consistit.

Ch. 127, 12 Duplici Bibaculus, *duplici* inquit *toga involutus*, non duplice. unde quidam errant qui *x* littera nominativo singulari finita nomina ablativo *e* tantum modo putant claudi, cum ⟨a⟩ mendaci animo et ⟨ab⟩ artifici ingenio et ⟨a⟩ salaci* et a minaci proposito et ab atroci facto ⟨et⟩ a truci vultu, ait Plinius, recte dicamus.

Ch. 127, 22 (?) Elephans. *ns* litteris nominativo singulari finita nomina genetivo singulari in *s* litteram necesse est exeant, ut saltantis, ablativus singularis ab hoc saltante, quod in elephanto non cadit. itaque elephantus est vocandus. facit enim huius elephanti et ab hoc elephanto.

Ch. 127, 26 Egente, ab hoc Egente ⟨de⟩ homine; egenti, ab hac egenti re.

Ch. 130, 13 Facile, ab hoc Facile, si homo vocetur; facili, si de re loquaris.

---

29 egente] *de* addidit Schottm. p. 36, cf. Ch. 127, 7; 130, 14.

matis cum aliis locis Plinianis non congruit (Ch. 120, 24; 122, 22, 29). — 5 diligente] Bramb. p. 170. — 18 duplici] Bramb. p. 165. — 29 egente] Bramb. p. 171.

Ch. 130, 14 Familiare, ab hoc Familiare, si de homine; familiari, si de re. familiari pro familiare Brutus ad Caesarem, *a Scaptio familiari meo*; Cicero quoque de divinatione libro I *in Aesopo familiari tuo*; familiare pro familiari Varro ad Neronem *a Lare familiare*; Familiare recte P. Rutilius de vita sua libro III *pro Lucio Familiare veniebam.*

Ch. 130, 20 Forte, ab hoc Forte Tullio oratore; forti, ab hoc forti viro. generaliter enim dicitur.

Ch. 130, 22 Pro fragili fragile verti vel dici ablativo dumtaxat casu omnino non potest, quod in [*e*] proprium hominis nomen omnino non vertitur. ab hoc enim fragili dicimus et homine et negotio (Ch. 146, 21; 138, 4).

Ch. 130, 25 Felice, a Felice defensus, felici die. Feroce, a Feroce adiutus, a feroci et agresti homine prostratum. nec enim sunt communia, cum aliud sit proprium hominis, aliud generale feritatis.

Ch. 130, 28 Face, ab hac face, quia nullo vel tenui vestigio potest esse commune.

Ch. 131, 4 Fragmine Maro VIIII, *atque ingenti fragmine montis.*

Ch. 131, 6 Gracile, ab hoc Gracile, si sit hominis nomen; gracili, si de re dicas.

Ch. 132, 15 Humile de homine aliquo, ut Pomponius Secundus in Aenea *ex humile rege*; humili ablativo, si res est.

Ch. 133, 5 Iuvenali ablativo *e* littera finietur, si homo sic vocetur; iuvenali, si ⟨res sit⟩, ut ait Maro, *iuvenali in corpore vires.* res etenim, non persona censetur.

Ch. 133, 9 Incolume Cicero de gloria II, *quo stante et incolume*; Pomponius quoque in Synephebis *incolume illo.*

Ch. 133, 18 Iubare. Plinius ait inter cetera etiam

---

1 familiare] Bramb. p. 170. — 14 felice] Bramb. p. 165. — 32 iubare] Bramb. p. 166 infra; Plinius a Caesare dissentit, qui abl. *iubare* et *farre* non excipit. Congruunt cum regula Pliniana libri mss. N. Historiae in verbo *far.*

istud C. Caesarem dedisse praeceptum, quod neutra nomina *ar* nominativo clausa per *i* dativum ablativumque singulares ostendant; iubar tamen ab hac regula dissidere. nam ut huic iubari dicimus, ab hoc iubare dicendum est, ut huic farri et ab hoc farre.

Ch. 133, 23 Innocente Varro de rebus urbanis III *Spartaco innocente coniecto ad gl<adiatori>um.*

Ch. 133, 25 Inpotente Catullus, *deperit inpotente amore*, quod ita quoque dictum notat Plinius.

Ch. 134, 3 Insequenti Asinius Polio ad Caesarem I, *insequenti die.*

(Ch. 136, 22 Mugil an mugilis? Plinius eodem libro VI 'hic mugil' inquit 'ut pugil et vigil. ablativo enim singulari detracta postrema vocali qualem oporteat nominativum singularem esse dinosces, ut ab hoc consule. mugilum an mugilium? ut vigilum et pugilum, mugilum quoque dici putato'. propterea itaque ablativum singularem non *i* sed *e* littera terminari.)

Ch. 136, 27 Molli numquam per *e* ablativo singulari evadat, quia proprium id nomen hominis esse non potest.

Ch. 137, 12 Mare Varro de gente populi Romani II, *a mare operta oppida*, pro a mari, ut refert Plinius. idem, inquit, antiquitatium humanarum libro XII, *ab Erythro mare orti,* et in Fundanio *in mare aquam frigidam oriri*; Atacinus quoque, *cingitur oceano, Libyco mare, flumine Nilo.* consuetudo vero per *i* locuta est contra finitionem quam sub titulo ruris dixit. Plautus in Cistellaria, *secundo vento vectus est | tranquillo mare.*

Ch. 138, 1 Natale, ab hoc Natale per *e*, si homo sit; natali, si dies natalis sit.

Ch. 138, 2 Nobile, si homo vocetur, ablativo per *e*; nobili si res aliqua praedicetur.

---

21 mare] cf. Ch. 61, 1—15, Prisc. 331, 12; de Fundanio cf. Ritschl Op. 3, 393, 406, 409. Verisimile est et reliquos locos, ubi Varronis Atacini nomen reperitur, Plinii esse. De hac re cf. quae dixi Berl. ph. Wochensch. 1892 No. 50, p. 1572.

Ch. 138, 4 Navali per *i* ablativo, non etiam per *e* proferri debet. itaque Varro epistolicarum quaestionum libro I *corona* inquit *navali*, quia et homini et negotio aptari potest nec tamen in proprium hominis nomen cadit.

Ch. 138, 13 Nobile Cicero de iure civili, *aliquo excellente ac nobile viro* . . . id etiam Plinio conserente.

Ch. 138, 15 Nobiliore. comparativa Plinius *e* putat ablativo finiri; ⟨antiquo⟩s tamen ait per *i* locutos, quippe fastos omnes et libros *a Fulvio Nobiliori* scriptum rettulisse (cf. Ch. 137, 27).

Ch. 138, 18 ⟨Osse⟩. monosyllaba extra analogian esse Plinius eodem libro VI scribit et addit eo magis consuetudinem in eo esse retinendam: Titinius *velim ego osse arare campum cereum*; Varro quoque *osse* inquit *scribebant*, non osso. ossum dici non potest, quoniam neutrale nomen quodcumque nominativo singulari *m* littera terminatur in *bus* syllabam dativo et ablativo plurali dari non potest, ut aptum, bonum, cavum, datum. Gellius tamen libro XXXIII *calvariaeque eius* inquit *ipsum ossum expurgarunt inauraveruntque.*

Ch. 139, 13 Omni, ab omni, non etiam ab omne dicemus, quia nec hoc in nomen hominis cadit.

Ch. 139, 17 Orbi pro orbe Ciceronem de republica libro V, *orbi terrarum conprehensos*, sed et Puplium Rutilium de vita sua V *ex orbi terrarum*, et frequenter an⟨tiquos⟩ ita locutos Plinius eodem libro VI notat: 'quamquam consuetudo melior' inquit 'quae faciat ex orbe, non sine ratione, quam ⟨sub⟩ nomine ruris diximus'.

Ch. 141, 13 Patruele, ab hoc patruele Cornelius

---

1 navali] vide sub 'consulari'. — 7 nobiliore] cf. Keilii adnot. et Bramb. p. 172. Apparet Plinium 'maiore' et 'maiori' differentia solita usum dixisse (Ch. 137, 27). — 11 osse] cf. Ch. 55, 2 et Prisc. 318, 3, qui eundem locum ante oculos habebant; et Caper K VII 100, 1. Ex loco Char. 54—55 discimus, quantum Plinius debeat Cn. Gellio, annalium scriptori. — 23 orbi] Bramb. p. 169 et Ch. 142, 20. Plinius in parisyllabis consuetudini obsequebatur.

Nepos inlustrium virorum libro XVI, *a fratre patruele* inquit *rem necessitudinis, sed etiam personam ostendat.

Ch. 142, 8 Rudi. nec hic ablativus in *e* mutabit, quoniam non capit esse nomen proprium hominis, et quia rei est, ut a rudi animo.

Ch. 142, 10 Rude, ab hac rude. ‘si de *qua ludimus’ ait Plinius, ‘merito *c* littera claudi debet. itaque et ab hac’ inquit ‘summa rudi dici debet’. (vide infra ‘rudis’).

Ch. 142, 18 Rure Terentius in Eunucho, *ex meo propinquo rure hoc capio commodi.* itaque et Varro ad Ciceronem XXII *rure veni.* quem Plinius ad eundem XI *rure ordinatum arbustum* dixisse laudat; sed et Terentium in Adelphis *filium negat esse rure,* sed et Titinium in Hortensio *in foro aut in curia | posita potius quam rure apud te inclusa*; cum nemo dubitet. et tametsi nulla possit esse nominis regula certior, [et] in signis tamen adverbialibus non potest nominibus esse commune. quamquam enim finito istius sit eius modi, quaecumque nomina genetivo singulari in *is* venerint, ablativo singulari in *e* venire, tamen contra *ruri agere vitam, perparce ac duriter | sese habere* Micionem Terentius in Adelphis loquentem de fratre conmeminit, non rure.

Ch. 143, 1 Rudis, sive species quam lanista liberandis gladiatoribus gerit sive inperitus, eundem nominativum habent, licet diversos ablativos, summa ⟨rude et ab hoc⟩ rudi. item Plinius eodem libro VI, ‘ablativus, ab hac rude summa, ⟨a⟩ rudi homine, a rudi animo, a rudi consilio.

Fragm. Bob. de nomine (K. V 560, 30) . . . Tiberis ab hoc Tiberi, et, ut dicit Plinius Secundus in libris dubii sermonis, hic salis ab hoc sali.

Ch. 143, 5 Salutare, ab hoc Salutare, si homo sic vocetur; salutari, si res sit, ut est medicamentum.

---

9 rure] 16 certior, in signis: delevit *et* Lindem.

3 rudi] Bramb. p. 160 sq., Neum. p. 19. — 9 rure] Bramb. p. 167.

Ch. 143, 7 Sodale, si homo sit Sodalis; sodali, si res sit.

Ch. 143, 8 Saeculare, si homo sic vocetur; saeculari, si temporis ⟨sit⟩.

Ch. 143, 11 Suave, a Suave invitatus sum; suavi, a suavi victu.

Ch. 144, 25 Tristi, ab hoc tristi, nec potest in *e* moveri, quod id quoque in hominis proprium nomen non potest cadere.

Ch. 146, 15 Vitale, ab hoc Vitale, si hominis proprium nomen sit, recte dicemus; vitali, si res aliqua dicatur.

Ch. 146, 17 Utile, ab hoc Utile nomini proprio debetur; utili, si rem aliquam velimus ostendere.

Ch. 146, 18 Vestale Nepos exemplorum II *a virgine Vestale* inquit pro Vestali, quia non personam sed rem significat.

Ch. 146, 21 Venali. ‘per *i*, non etiam per *e* ablativus est finiendus, quoniam et de homine’ inquit Plinius ‘dicimus et de negotio’.

Ch. 146, 23 Veloce, a Veloce honoratus, a veloci vero equo superatus.

Ch. 147, 6 Vetere, *vetere vino* Varro de actionibus scaenicis III, non veteri.

Ch. 147, 7 Ungui Licinius Calvus in poemate, *vaga candido nympha secet ungui.*

De ablativo singul. cf. Ch. 139, 15 oxo, 144, 17 schema: cf. 53, 15; 122, 20 algu, 140, 11 penu, 141, 8 pecu, 144, 21 spinu, 147, 3 vulgu.

f. De nominibus quartae declinationis.*

Char. 135, 25 Laurus Maro, *inter victrices hederas tibi serpere laurus*, idem ⟨*li*⟩*minaque laurusque dei.* ⟨sed

---

15 vestale] Bramb. p. 164, qui de significatione voc. ‘res’ apud Plinium in his regulis disputat. — 18 venali] Bramb. p. 160, 164.

et⟩ lauri Maro, *et vos o lauri carpam,* idem *illum etiam lauri etiam flevere myricae*, idem *munera sunt lauri.* lauro Maro, *faciemque simillima lauro,* idem *et sacra redimitus tempora lauro.* sed ablativum singularem dativo non habet similem. ait enim Plinius huic lauro et tamen ab hac lauru et lauruum facere.

Ch. 128, 27 ... fagus Varronem dicere sub *f* littera dedimus exemplum.

Ch. 130, 5 Fagus Varro de gent. P. R. I, *fagus quas Graece φηγούς vocant*; fagos C. Caesar de analogia II *fagos populos ulmos.*

Ch. 128, 28 ... ficus Cicero de oratore libro II *de ficu suspendit se*; Varro quoque de scaenicis originibus libro II *sub Ruminali ficu.* itaque Plinius Secundus recte arborem ita dici ait, pomum vero per *o* litteram dici. fici Ennius *fici dulciferae lactantes ubere toto*; Lucilius *fici,* inquit, *comeduntur et uvae.*

Ch. 129, 6 Fretus, huius fretus Porcius Licinus, ut Plinius eodem sermonis dubii libro VI refert, *salsi fretus,* Messala contra Antonii litteras *angustiae fretus.* fretu Cicero *a Gaditano* inquit *fretu,* Augustus ad Antonium *fretu cessi.*

Ch. 143, 12 Senatuis ut fluctuis. 'ita genetivum'

12 ficus] = K. IV 214, 33. — 18 fretus] cf. Prisc. p. 27, 3, loco Pliniano (Pr. 26, 16), quamquam non facile est Pliniana segregare. Atque idem sentit Neum. p. 58, qui haec per Papyrianum tradita esse recte iudicat. — 23 senatuis] de casibus horum verborum in -uus, in N. H. libris manuscriptis nobis traditis, scripsit et Detlefsen (Symbola phil. Bonn. p. 712 sq.) et Bramb. p. 131. Ante omnia Neum. p. 45, 46, 50 perlegendus est; namque hac via ad Plinii librorum grammaticorum usum apud A. Gellium pervenire possumus (Stud. Gell. p. 9). Multa de genetivis huius declin. tradit Nonius c. VIII, qui saepe eadem testimonia atque Prisc. (p. 257 sq.) affert. — Ad hunc locum Ch. 143, 12 conferri potest Ch. 22, 18 (Exc. Ch. 539, 12) et fragm. Bobiense apud K. V 555, 6 (Plinius solus in hoc fr. laudatur p. 560). De his rebus pauca adnotavit Gell. N. A. IV 16. Sunt fere omnibus his locis vestigia tum clara tum obscura Plinii Secundi; est inter complures vinculum quoddam,

inquit Plinius ʻdeclinabant, ut C. Fannius Cos. contra C. Gracchum *senatuis consulta.* senati Sallustius *senati decretum fit*, ut lauri; Cicero quoque [de] divinatione in Verrem et pro Oppio II *senati*ʼ.

Ch. 139, 4 ʻOssu quidam ut veru genu putaruntʼ inquit Plinius eodem libro VI ʻposse censeriʼ. nam ut veribus genibus, ossibus quoque posse manifestum est.

Ch. 126, 22 Domi (vide s. genetivo dubio).

Ch. 128, 17 Exerciti (vide ibidem).

Ch. 147, 1 Volgus, huius volgus Varro antiquitatium divinarum XV *volgus rumorem.*

Ch. 147, 3 Vulgu, ⟨ab⟩ hoc vulgu Oppius de vita Cassii, idem de vita prioris Africani *opinante ⟨vulgu⟩*, Varro hebdomadon VIIII *a vulgu condemnaretur.*

Ch. 122, 20 Algu Plautus in Rudente *tu vel suda vel peri algu.*

Ch. 140, 11 P⟨enu Pomponius⟩, . . . *e careo tam pulchra penu.* penus peni, si femininum; penoris ut pecoris, si ⟨generis⟩ neutri sit, ut quidam putant.

Ch. 141, 8 Pecu Plautus in Bacchidibus, *pastor harum | dormit, cum haec eunt a pecu halitantes,* idem in Rudente *non vides referre me uvidum rete sine squamoso pecu?*

Ch. 144, 21 Spinu, ab hac spinu Varro in Aetiis, *fax ex spinu alba praefertur, quod purgationis causa adhibetur.* spino, ab hac spino Maro, *eduramque pirum et spinos.*

g. De genetivo quintae declinationis.

Ch. 55, 9 (?) Si producta *e* littera finiatur ablativus, *i* accepta faciet genetivum, ut ab hac die huius diei, ab

---

17 penu] locus corruptus, a Keilio e Cledonio suppletus.

nonnunquam satis firmum; Plinianis ea inserere certissimis argumentis adhuc nemini contigit — 29 Ch. 55, 9] cf. Ch. 69; 128, 12, Prisc. 366, K V p. 555, Quint. I 6, 26, Gell. N. A. IX

hac acie huius aciei, ab hac specie huius speciei, scilicet *e* manente in productione, quod *i* ante se habet. nam si non habeat, corripietur in genetivo, ut ab hac spe spei, re rei, fide fidei; quamquam in Aulularia Plautus *fide* dixerit. fame tamen producitur, quamvis non habeat *i*, et ideo auctores etiam huius fami dixerunt, ut idem Plautus in Sticho *fami* dativo casu, et Varro genetivo huius *fami,* cum famis sit rationis.

h. De nominativo plurali.

Ch. 133, 11 Ibes, hae ibes Aemilius Macer, [tum sacrae veniunt cultoribus idest] *altis ex urbibus ibes,* item *auxilium sacrae veniunt cultoribus ibes.* ubi Plinius libro VI sermonis dubii ʻantiquorum' inquit ʻregula, quoniam quae *is* nominativo singulari sunt terminata in *es* plurali nominativo clauduntur'.

Ch. 140, 14 Palumbes Maro ait. palumbes a quo nominativo veniat quaeri solet (cf. Ch. 106, 30).

i. De dativo-ablativo plurali in *is* pro *ibus* exeunte* (cf. de genetivo plurali).

Ch. 131, 10 ʻGlossemata ut toreumata, enthymemata, noemata, schemata, poemata et his similia omnia Varronis regula' inquit Plinius ʻdativo et ablativo plurali in *bus* dirigit, quia singularis ablativus *e* littera finiatur'. melior tamen ratio est quam sub *a* littera dedi (Ch. 123, 3); et ideo haec et eiusmodi ex alia formula genetivum pluralem et ex alia dativum sumunt, horum glossematum his glossematis.

Ch. 125, 23 Cetariis Pomponius Secundus ad Thra-

14 ubi § 25 Caesaris liber de analogia II fontem Plinianum prodit. Quid tamen in omnibus his locis Plinii sit, quid non haud facile enuclees. Tentavi aliquid in Stud. Gell. et Plin. p. 9 sq., ut aliorum quoque animos ad hanc rem contenderem. — 10 Ch. 133, 11 ibes| locus corruptus, de quo cf. Keilius in adn. et Phil. II p. 193.

seam, ‘cum ratio cetaribus’ inquit Plinius ‘poscat, ut moenia moenibus, ilia ilibus, Parilia Parilibus. ea enim nomina quae *i* ante *a* habent, ut cetaria, in *bus* necesse est desinant’.

Ch. 140, 5 Poematis, quamvis ratio poematibus faciat. nam sic inscribit Varro libro suo *de poematis.*

Ch. 123, 8 Arabis Maro *Hircanisque Arabisque parant*; ubi Plinius ‘*es* numero plurali finita nomina dativo *bus* recipiunt, idque commentatores iubent’. quid ergo, si sic declinavit, ut Plautus in Bacchidibus* et in Poenulo . . . (vide p. 54 sub nominativo).

Ch. 123, 3 Aenigmatis Varro de utilitate sermonis IIII. ait enim Plinius ‘quamquam ab hoc poemate his poematibus facere debeat, tamen consuetudini et suavitati aurium censet summam esse tribuendam, ut in Aceste et in Anchise Maronis diximus placitum; et quia Graeca nomina non debent Latinis ⟨regulis⟩ alligari’.

Ch. 134, 4 Iugeris Ateius . . . philologus Pinacon III . . . sed et Cato his *iugeris*, ut notat Plinius eodem libro VI. ‘iugeribus quidam grammatici’ inquit Plinius ‘ita dicendum putant, quasi sit hoc iuger tamquam hoc tuber, et ab hoc iugere tamquam ab hoc tubere, et ita ut tuberibus, iugeribus, et tantum iugerum’. Varro rerum rusticarum III ‘*iugerum agelli*’ et ‘*iugero uno*’ cum dixerit, idem ‘*in iugeribus multis*’; sed et I rerum rusticarum *iugeribus* saepe dixit, quod utique descendit ⟨a nominativo⟩ iuger, ut tuber.

k. De genetivo plurali.*

α. (gen. *um* pro *arum, orum.*)

Ch. 55, 21 Amforum an amforarum dicendum sit quaeritur. ⟨amforum in consuetudine est.⟩ sed cum eadem

---

18 iugeris] locus corrupte traditus. — 29 amforum] locus

7 Arabis] cf. Ch. 100, 9, Prisc. 216, 13 et Neum. p. 44 infra, qui et observationes nonnullas Prisciani Plinio vindicat. — 29 amforum] cf. Serv. ad Aen. X 564, XII 121, ad georg. III 27.

suavitas in utraque enuntiatione ⟨sit, non video quare quis bar⟩barum malit, cum aures simili pretio recta dilectent. ⟨dicemus igitur amforarum, quia⟩ quaecumque nomina, exceptis neutralibus, singulari numero ca⟨su nominativo *a* littera finiuntur⟩ non possunt genetivo plurali per alias litteras quam per *arum* exire, ⟨tam quam Sisenna Si⟩sennarum, Minerva Minervarum, collega collegarum. sic ⟨ergo amfora amforarum⟩ non amforum. ⟨Romanus autem in libro de analogia VII refert sic, anforum, ut Plinius eodem libro VI et Livius. sed et ceteri assidue anforum dicunt, si coniunctim, ut X millia anforum modium sestertium nummum; si per se, anforarum.⟩

Ch. 126, 25 Digitum pro digitorum Varro ad Atticum de vita P. R. libro I, *neque ille Callicles, quaternum digitum tabellis nobilis cum esset factus, tamen in pingendo ascendere potuit ad Euphranoris altitudinem.*

Ch. 129, 10 Fabrum pro fabrorum; ubi Plinius eodem libro VI 'hoc recte' inquit 'usus, et sestertium' inquit 'tot milia: M. Scaurus contra Brutum de pecuniis repetundis *praefecti fabrum*'.

Serv. ad Aen. II 18 virum pro virorum; qua figura et in prosa utimur. dicit sane Plinius hoc in neutro non esse faciendum, scilicet propter casuum similitudinem, nisi forte nimia metri necessitas cogat.

β. (gen. ⟨*i*⟩*um* et ⟨*i*⟩*orum* et de dativo plur.)

Ch. 143, 19 Saturnalium. *a* littera finita nominativo plurali ⟨genetivo⟩ alia *um*, alia *rum* terminabuntur.

---

in cod. Neap. corrupte traditur; in fine suppletus est ex excerptis Cauchianis (Keilii add. I).

13 digitum] Neumanno p. 21 videtur hic locus Plinio non attribuendus esse, quod exempla tam verbosa exhibere non soleat. At si aliquis hunc locum e Varronis libris excerpsit, Plinius est (cf. die Quellen in den gramm. Büchern des Pl. in Phil. VI 3 p. 509). Est sane exemplum satis longum, sed percurrenti fragmenta Pliniana plura huius generis occurrunt. — 26 Saturnalium] = Ch. 143, 24—29 = Ch. 52, 17—20; de

inspiciendus itaque nobis est dativus et ablativus pluralis, in *is* syllabam an in *bus* exeant. itaque fulmina fulminum, lupanaria lupanarium, Saturnalia Saturnalium. *bus* enim syllaba dativus et ablativus clauduntur. balneorum vero et ferreorum ideo dicimus, quod eorum dativi et ablativi non *bus* sed *is* terminantur. secunda ratio, qua Plinius ait Valgium niti, talis est: nomina semper pluralia, si ante novissimam *a* litteram *i* habebunt, deposita *a* et adsumpta *um* facere genetivos pluralis, velut Liberalia Floralia, Liberalium Floralium; si autem ante *a i* non habebunt, in *rum* faciant necesse est genetivum. itaque exta castra, extorum castrorum faciunt.

Ch. 146, 31 Vectigaliorum Cicero ad Atticum; at enim in ratione consiliorum suorum, sed et de lege agraria *vectigalium.* at vero Varro de bibliothecis II *vectigaliorum*, et Asinius Pollio *vectigaliorum rei publicae curam esse habendam.* vectigalium Messala *de vectigalium Asiae constitutione*; P. quoque Rutilius de vita sua libro IIII, Scaurus libro III *vectigalium se minus fructos.*

Ch. 141, 29 Poematorum et in II et in III idem Varro adsidue dicit et his poematis, tamquam nominativo hoc poematum sit et non hoc poema. nam et ad Ciceronem XI, horum *poematorum* et his *poematis* oportere dici. itaque Cicero pro Gallio *poematorum* et in Oratore *poematis* dixit. sed et Q. Laelius ex principibus grammaticis librum suum ita inscripsit '*De vitiis virtutibusque poematorum*'. Accius quoque didascalicorum VIIII *nam quam varia haec genera poematorum, Baebi,* | *quamque longe distincta alia ab aliis sint nosce.*

---

hac regula cf. Neum. p. 21, qui relegat ad Ch. 62, 15 et ad Nonium p. 489 eodem fonte usum. Praeterea cf. Serv. in Don. K. IV 435, 2, Pomp. K. V 168, 19; 196, 19. — 7 Valgius Rufus (Ch. 108, 28) scripsit 'de rebus per epistulam quaesitis'. — 13 vectigaliorum] cf. Ch. 62, 15 et Non. p. 489; de Varronis 'de bibliothecis' vide Ritschl op. 3, 452; Scaurus hoc loco est M. Aemilius Scaurus de vita sua tertio, quem librum Diom. laudat 374, 14 et 385, 30, ubi priore loco et P. Rutilius Rufus antecedit, ut Pliniana haec esse satis manifestum sit.

γ. (*um* an *ium?*)

Ch. 122, 8 Amans amantium. *ns* finita nomina singulari nominativo genetivo plurali *ium* recipiant necesse est. itaque Terentius *amantium irac amoris integratio est*; amantum Caecilius, ut etiam Plinius notat, *quantum amantum in Attica est.*

Ch. 124, 28 Cervicium. ubi Plinius eodem libro 'exceptis monosyllabis cetera *x* finita nomina seu vocabula absque communibus genetivo plurali quamquam ante *um i* non recipiunt, ut fruticum, paelicum, radix tamen, ut cervix, radicium facit (cf. Ch. 129, 3; 142, 14).

Ch. 125, 1 Cicatricum, non cicatricium Hortensius pro C. Rabirio *cicatricum mcarum* quod emendate dictum sit.

Ch. 125, 3 Compluria Terentius in Phormione *nova compluria*; ubi Plinius 'Iulius Modestius' inquit 'ita definiit, quae nomina comparandi fuerint, ea accusativis pluralibus in *is* exient, id est fortioris, ⟨genetivus⟩ fortiorum facere debet, non fortiorium; id est ante *um* syllabam *i* recipere non debent. ita compluris et complurum esse dicendum. consuetudo tamen et hos plures dicit et horum plurium'.

Ch. 125, 16 Civitatium Annaeus Cornutus ad Italicum de Vergilio libro X *iamquc cxemplo tuo ctiam principcs civitatium, o poeta, incipient similia fingere.*

Ch. 129, 3 Felicium. trium generum nomina genetivo plurali ante *um i* debent recipere, ut pernicium, auda-

---

7 cervicium] 9 *absque cognominibus* N. — 14 compluria] mutavi lectionem N: 19 *ita complura...tamen et hos plures dicit et haec pluria,* conferens Ch. 73, 14 *sed consuetudo plurium cum i dicit.*

14 compluria] cf. Ch. 73, 12. — 22 civitatium] dubito an Plinius ex Annaei Cornuti commentariis non hauserit, quamquam vitae tempus utriusque viri non obstat. cf. Ch. 127, 17 quo loco Pliniano et Cornutus laudatur. Fieri potest ut a Romano additus sit. — 25 felicium] cf. Ch. 124, 28 (Plinii) et Bölte l. l. p. 422, qui hunc locum etiam inter Pliniana enumerat.

cium, ferocium. alia illa regula est quam sub *c* littera diximus (Ch. 124, 28).

Ch. 130, 1 Ferientium ferienteis idem Stilo putat facere debere, ut docenteis, saltanteis, quoniam quaecumque secum verbi iura traxissent, ea accusativis pluralibus, adiuvante [re] dumtaxat genetivo plurali, in *eis* sonarent.

Ch. 135, 7 Iurum Cato Originum VII, *iurum legumque* ⟨*cultores*, licet ius⟩ numero plurali tantum modo per nominativum et accusativum et vocativum declinetur, ut maria, rura, aera, iura.

Ch. 136, 22 (Mugil an mugilis? Plinius eodem libro VI 'hic mugil', inquit, 'ut pugil et vigil. ablativo enim singulari detracta postrema vocali qualem oporteat nominativum singularem esse dinosces, ut ab hoc consule.) mugilum an mugilium? ut vigilum et pugilum, mugilum quoque dici putato'. propterea itaque ablativum singularem non *i* sed *e* littera terminari.

Ch. 136, 29 Mars. 'Mars horum Martum' inquit Plinius 'facit, licet sors sortium et nox noctium faciat, quoniam quae in duas semivocales aut in duplicem ⟨consonantem⟩ monosyllaba nominativo exeunt, haec genetivo plurali ante *um i* litteram habere debent'.

Ch. 137, 4 Murum Cicero de deorum natura libro II *nec enim homines murum aut formicarum causa frumentum condunt.* ubi Plinius eodem libro VI 'pro murium', inquit, 'quoniam non ut fures furum et augurum et celerum dicimus, ita quoque murum censere debemus'. quaecumque enim *r* littera nominativo singulari sunt terminata, [oportet] ea genetivo plurali *um* non *ium* recipere debere. itaque Trogum de animalibus libro X *parium numerorum et imparium* non recte dixisse, sed parum et imparum.

Ch. 138, 9 ⟨*Ns* litteris⟩ nominativus singularis si terminetur, genetivus pluralis ante *um i* recipiat necesse est. itaque Cicero rationis memor *parentium* saepe dicit. ⟨sed

---

32 Ch. 138, 9] Fronto de Ptolemaeensibus quis est? Si Marcus ille rhetor Cirtensis, a Plinio hic locus abiudicandus est.

et⟩ Fronto pro Ptolemaeensibus *parentum tuorum*, ut ait Plinius; alias poetarum vicem, qui regulam satis idoneam sopierunt.

Ch. 141, 16 Pacium an pacum et lucium an lucum addubitari etiam nunc ait Plinius, 'quoniam nec finitionem ullam in monosyllabis' inquit 'grammatici temptaverunt. nam ut fax faex nux crux rex lex sine *i* genetivo plurali sunt dictitanda, ita contra nox falx calx arx lanx cum *i* pronuntianda sunt'.

Ch. 141, 20 Panium Caesar de analogia libro II dici debere ait. sed Verrius contra. nam *i* detracta *panum* ait dici debere. neutrum autem puto posse dici, quia de his est nominibus quae, cum pondere numero mensuraque constent, semper sunt singularia.

Ch. 141, 20 Partum. Caesar in analogicis harum *partum*, Cornelius Nepos inlustrium XV* et Ennius *iamque fere quattor partum*, quoniam ab hac parte facit et has partes. 'sed consuetudo' inquit Plinius 'ut praegnatium optimatium'.

Ch. 142, 12 Retium, non retum, quoniam, ut ait Plinius sermonis dubii libro VI, genetivus numquam pauciores syllabas habet quam nominativus.

Ch. 142, 14 Radicium Varro rerum rusticarum I et III; et Fabianus de animalibus radicum genera inquit. Hyginus quoque de agri cultura II *ab extremis radicum partibus*; quod magis cum ratione dici leges sub *c* littera (cf. Ch. 124, 28).

Ch. 144, 27 *Tus* aut *lus* nominativo singulari producto finita nomina non recipiunt *i* ante *um* genetivo plurali, ut virtus, salus, palus, quoniam nec accusativus *is* sed *es* recipit (cf. p. 27 Ch. 137, 23).

Ch. 146, 28 Volucrium Cicero de finibus bonorum et malorum, nec non et Fabianus causarum libro II et III;

10 panium] cf. Ch. 90, 5. — 20 retium] cf. Ch. 61, 25. — 23 radicium] cf. s. cervicium Ch. 124, 28; de elocutione 'cum ratione dicere' cf. Zur Quellenanal. p. 263.

volucrum Maecenas in dialogo II et consuetudo, ut idem ait Plinius.

Ch. 54, 21 Cum vero *e* vel *i* vel *u* terminetur ablativus singularis, *um* accipit et facit genetivum pluralem. dativus et ablativus *bus* syllaba terminantur, veluti ab hoc rege, regum, regibus, ab hac navi, navium, navibus, et ab hoc portu, portuum, portibus. invenimus tamen apud auctores etiam his contraria. *nucerum* enim Coelius dixit, Lucilius ⟨*naverum*⟩, Gellius vero *regerum* et *lapiderum*, cum *rum* syllabam numquam accipiat ablativus *e* littera terminatus, nisi cum producitur, ut ab hac re rerum, die dierum, specie specierum, facie facierum.

1. De accusativo plurali tertiae declinationis.

Ch. 129, 19 Fonteis. ‘quorum nominum genetivi pluralis ante *um* syllabam *i* litteram merebuntur, accusativus’ inquit Plinius ‘per *eis* loquetur, montium, monteis; licet Varro’ inquit ‘exemplis hanc regulam confutare temptarit istius modi, falcium falces, non falceis facit, nec has merceis, nec hos axeis, lintreis, ventreis, stirpeis, urbeis, corbeis, vecteis, inerteis. et tamen manus dat praemissae regulae ridicule, ut exceptis his nominibus valeat regula.’

Ch. 129, 25 Funes, licet grammatici velint, genetivis tam singulari quam plurali si *i* littera intererit, accusativum pluralem in *eis* exire, ut huius funis horum funium hos funeis. quam regulam negat Plinius vires habere potuisse. errant enim qui putant ea nomina quae nominativo singulari et genetivo per *is* terminabuntur et genetivos ⟨plurales⟩ per *ium* loquentur accusativos in *eis* posse dicere, quod negat Plinius.

Ch. 129, 31 Ferocior tam quam peior, melior ait Stilo in *eis* accusativo posse proferri, ferocioreis.

---

3 Ch. 54, 21] Vide Keilii adn. — 22 funeis] Keilius recte: *accusativos in eis posse dicere.*

14 fonteis] Bramb. p. 151 sq., Ter. Scaurus K. VII p. 33.

Ch. 130, 1 Ferientium ferienteis idem Stilo putat facere debere, ut docenteis, saltanteis, quoniam quaecumque secum verbi iura traxissent, ea accusativis pluralibus, adiuvante [re] dumtaxat genetivo plurali, in *eis* sonarent.

Ch. 130, 4 Facilioreis Caecilius, inquit Plinius. idem et *sanctioreis* ait.

Ch. 137, 23 Monteis. licet Pomponius Secundus poeta, ut refert Plinius, propter homonymum nominativi accusativo casu omnes non putet dici sed omneis, tamen idem Plinius in eodem permanet dicens omnes tunc demum posse dici accusativo, ut canes, quando genetivus pluralis ante *um i* non habeat (cf. p. 25 Ch. 144, 27 et infra Ch. 139, 22).

Ch. 137, 27 Maioreis Cicero, ut Plinius eodem libro notat. maiore, ab hoc ⟨maiore⟩, si hominis sit proprium nomen; maiori ⟨de⟩ re vel negotio. atqui ferunt quaecumque comparativi gradus sunt ablativo *i* finiri non posse (cf. Ch. 138, 15).

Ch. 139, 22 Omnes Sallustius in Catilina *omnes P. C. qui de rebus dubiis consultant ab odio amicitia ira atque misericordia vacuos esse decet,* cum idem in eodem *omneis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus;* quod ratione potius esse subnixum sub *f* et sub *m* littera poterit ostendi (cf. Ch. 137, 23; 129, 19; 129, 25).

Ch. 125, 3 Compluria (vide s. gen. *um* an *ium*?).

Ch. 145, 5 Titanas. ubi Plinius 'nec paeanas accusativo' inquit 'recte dicimus. nullum enim nomen accusativo plurali in *as* venit nisi quod nominativo plurali in *ae* sonabit'.

m. De dativo-ablativo plurali in -*abus* exeunte.

Ch. 129, 13 Filiabus in testamentis ob discrimen sexus ait Plinius dici consuesse, cum his tantum nomi-

7 monteis] N. *quod genetivus pluralis horum canum ante um i non habet.*

13 maioreis] Bramb. p. 172. — 18 omnes] Neum. p. 19 Aspro attribuit.

nibus ⟨*bus*⟩ adici solent quae numero plurali *es* litteris terminantur, ut cupiditates dignitates, vel quae *us*, ut anus, manus, senatus, fluctus.

Ch. 54, 8 Dativus et ablativus per *is* exeunt, ut ab hoc docto, doctorum, doctis; nisi quod nonnumquam ratio ista auctoritate vel necessitate corrumpitur; veluti cum dicimus his deabus et libertabus filiabusque quod iuris periti instituerunt, ambiguitatis secernendae scilicet gratia, ob quod multa sordide ab auctoribus dicta videntur habere rationem. nam Gellius in II *deabus* inquit *supplicans*, et in eodem *multitudo puerorum iam erat ex raptabus,* et in tertio *capite cum aliis paucabus consilium,* et in V *puellabus,* et in VII *pro duabus pudicabus.* quae, ut dixi, sexus ostendendi causa defendi possunt. at cum multa causa cogente quid tale dicitur, tunc nimirum confitendum est de errore, ut idem Gellius in XCVII (?) *portabus*, et mox *oleabus*, et Plautus in Curculione *hibus*, et Ennius in Protreptico *pannibus*; quae notanda videntur.

III. De indeclinabilibus et defectivis.

Ch. 143, 32 Siremps tantum per nominativum et ablativum declinatur, siremps, ut tabes et pluris, ab hac sirempse plure tabe; Caesar ergo *siremps lex esto quasi sacram violaverit* dixisse pronuntiandus est, nisi forte quidam adverbialiter legere maluerint, similiter lex esto.

Ch. 131, 7 Git. Varro ad Ciceronem XI per omnes

---

20 siremps] cf. Ch. 93, 24; 146, 1; cf. Keilii adn. et coniecturas ibi prolatas; vide praeterea Hertzii emendationem in Phil. XI 680, qui pro *violaverit* (Ch. 144, 1) 'vocaverit' sic interpretans: Caesar ergo 'siremps lex esto' quasi sacram vocaverit dixisse pronuntiandus est (d. h. adjectivisch), nisi forte quidam adverbialiter legere maluerint 'similiter lex esto'. — 25 git] in fine corruptela est, de qua cf. Keilii adn.

4 Ch. 54, 8] Cn. Gellius, auctor Plinii in N. H. indice scriptorum lib. VII, semel in re grammatica (VII 197) ad-

casus id nomen ire debere conmeminit; vulgo autem hoc gitti dicunt. itaque ut Plinius sermonis dubii libro VI*.

Ch. 81, 24 Stomachus etiam in pluribus singulariter dicitur, ut ait Calvus *quorum praedulcem cibum stomachus ferre non potest.*

Ch. 91, 26 Pix singulariter dicitur, ut ait Varro de similitudine verborum II, quamvis Vergilius dixerit *Idaeasque pices et pingues unguine ceras.*

Ch. 93, 3 (?) Multa sane inveniuntur quae varia ratione deficiant, quae suo quoque titulo praedicta sunt (cf. Ch. p. 31 sq.). alia enim singularitate carent, ut exta arma castra moenia ilia scalae scopae cancelli furfures nuptiae freni, quamvis Vergilius dixerit *ni frenum accipere*; alia pluralitate, ut garum oleum vinum ferrum panis frumentum et cetera quae ad pondus numerum mensuramque rediguntur. nam quod auctores dixerint frumenta hordea mella, non nos moveat. abusi sunt enim licentia vetustatis, et tamen alios casus eorum non protulerunt ...

Ch. 93, 18 ... alia autem singulariter quidem per omnes casus declinantur, sed pluraliter nominativo tantum et accusativo et vocativo, ut maria, rura, aera, iura; quamvis Cato Originum VII genetivo casu dixerit *iurum legumque cultores* et Lucretius secundo *pulsabant aeribus aera.* alia nominativum et ablativum habent, ut tabes, pluris, sireps. faciunt ⟨enim⟩ ab hac tabe plure siremse. Cinna autem in Zmyrna huius *tabis* dixit nullo auctore (cf. Ch. 120, 33; 135, 7; 145, 31).

Ch. 96, 7 Inimicitiae et insidiae pluraliter dici debent; sed Sallustius de insidiis *prima* inq⟨uit⟩, et Accius *inimicitiam* dicit.

Ch. 98, 14 Ostia exitus fluminum in mare neutro

---

hibetur. Qua de re in adn. ad caput de litteris tractatum est. Vide Neum. p. 28. — 19 Ch. 93, 18] Plinium de singularibus et plur. tantum, quae nos dicimus, et de defectivis dixisse ex hoc capite apparet. De eadem re quaesivit Caesar in libris de analogia (Gell. N. A. XIX 8). — 28 inimicitiae] Sallustius sc. hist. lib. II (Serv. ad Verg. geo. II 98, Aen. XI 896).

genere semper pluraliter dicuntur, sed ⟨si ur⟩bem significare v⟨oles⟩, singularem potius numerum observabis; quamvis Sallustius frequenter etiam plurali numero urbem significet.

Ch. 107, 4 Naris singulariter, haec naris, dicimus ut Aemilius Macer *saucia naris.*

Ch. 107, 31 Sinapi per omnes casus similiter effertur; genetivo tantum *s* littera adicitur, huius sinapis.

Ch. 72, 6 Lignum singulariter dici semper debet in multitudine. Cato Originum I *vehes* ait *ligni*, sicut et fasces dicuntur asparagi, quamvis asparagos pluraliter dicamus, at Lucilius III *asparagi nulli.* idem in eodem ligna pluraliter dicit *student hi ligna videre.*

Ch. 75, 15 Bovus (?) non nisi singularem numerum capit. nam pluralem nemo dixit.

Ch. 79, 20 Loculos et locellos pluraliter dici multi putant, cum sit hic loculus, cuius hypocorisma est hic locellus. nam Varro rerum rusticarum III *loculum* dixit et Caesar ad Pisonem *locellum tibi signatum remisi.*

Ch. 104, 20 Capillum priores singulariter dicebant, sicut barbam. nam Varro epistulicarum III negabat pluraliter dici debere; sed Vergilius ait *comptos de more capillos,* et Horatius *hunc et incomptis Curium capillis,* item *puer quis ex aula capillis | ad cyathum statuetur unctis.*

Ch. 106, 31 Alvaria neutro ⟨genere pluraliter tantum⟩ dicuntur: Vergilius *seu lento fuerint alvaria vimine texta*; quamvis Cicero in Oeconomico singulariter dixerit *apes in alvarium concesserant.*

Ch. 98, 17 Frena neutraliter frequenter. Vergilius frenos quoque ait in georgicon III *⟨et sta⟩bulo frenos audire sonantes*, sed et singulariter ⟨hoc frenum⟩ dixit in XII *ni frenum accipere et dicto parere fatentur;* quod tamen consuetudo repudiavit (cf. K. IV 211, 24).

---

7 sinapi] cf. Ch. 143, 30; 144, 10. — 9 lignum] de testimoniis Lucilii cf. Keilii adn. — 25 alvaria] locus Plinianus propter Oeconomicum Xenophontis-Ciceronis, de quo vide Die Quellen in den gramm. Büch. des P. S. p. 507; cf. Prisc. 385, 4.

Ch. 124, 1 Biber C. Fannius annalium VIII *domina eius, ubi ad villam venerat, iubebat biber dari*; Cato quoque Originum* sed et Titinius in Prilia *date illi biber, iracunda haec est.*

Ch. 97, 10 Hos pugillares et masculino genere et semper pluraliter dicas, sicut Asinius in Valer⟨ium⟩, quia pugillus est qui plures tabellas continet in seriem sutas. at tamen haec pugillaria saepius neutraliter dicit idem Catullus in hendecasyllabis. item Laber⟨ius in Piscatore⟩ singulariter hoc *pugillar* dicit.

K. V 588, 21 Quirites singularem numerum non habet. quamquam Maecenas dixit Quiritem; sed non recipitur.

Ch. 53, 15 ... Plautus schema pro schemate dixit in Amphitruone, *huc ergo processi cum servili schema.* Plinius sermonis dubii VI de Varrone *quam maxime vicina Graeco Graeca dicit, uti nec schematis quidem dicat sed schemasin* (cf. Ch. 144, 17).

Ch. 104, 1 Leontion et Chrysion et Phanion ex neutris Graecis feminina nostri fecere* et Plautus quod dixit haec Phronesium, et Caecilius Leontium. Varroni autem placet talia nomina dativo tantum casu et ablativo declinari, in ceteris vero sic efferri ut nominativo.

Ch. 141, 20 Panium Caesar de analogia libro II dici debere ait. sed Verrius contra. nam *i* detracta *panum* ait dici debere. neutrum autem puto posse dici, quia de

---

18 Leontion] locus corruptus, de quo Keilii adn. conferenda est.

1 biber] in margine N. adscr. τὸ πιεῖν. Dubito an veteres non intellexerint formam verbalem vulgarem. cf. ante omnia K. IV p. 502, 32. — 5 pugillares] dubitant viri docti de nomine Valerii sc. Catulli (Hauptius); *in Labienum* legit Bondamus. De Asinio Pollione historiarum scriptore et oratore omnes cogitant praeter Thorbeckium, de As. Pol. p. 124, grammaticum eum esse ratum. In exc. Cauchianis est: *Asinius in Valeriam lib. I quia.* Hauptius op. 2, 67 dicit Pollionem etiam de rebus grammaticis disputavisse, cf. Ch. 84, 11; at hoc moneo Plinium fere omnibus locis ex orationibus Pollionis testimonia laudare.

his est nominibus quae, cum pondere numero mensuraque constent, semper sunt singularia (cf. Ch. 90, 5).

Praeterea cf. in cap. de dubiis generibus: Ch. 95, 12 *barba*, Ch. 101, 17 *insomnia*, Ch. 71, 27 *forum*, Ch. 99, 3 *balneum*, Ch. 106, 12 *sal*, K. V 587, 16 *praesepia*, Ch. 58, 10 *pervigilia*.

IV. De numeralibus.

K. V 185, 16 (Pomp. comm.) Quaesitum est hoc ipsum, utrum mille diceremus an mile, id est utrum per geminum l an per unum. sed Plinius Secundus in libris dubii sermonis ita expressit, 'mille non debemus aliter dicere, nisi per geminum l'.

K. V 45, 13 (Cledonii ars) . . . a ducentis declinamus. et deinceps praeter mille, ut ait Plinius.

K. V 172, 13 (Pomp. comm.) De isto mille tractavit Plinius Secundus: in numero singulari duplici *l* scribitur et non declinatur; in numero plurali unum *l* habet et declinatur, milia milium milibus.

V. De pronomine.

An. Helv. p. 135, 1 (Ars Bernensis) Sed tamen Plinius Secundus grammaticus, sicut Sergius ostendit, reprehendit eos, qui dicunt personas acciddere finitis pronominibus, ut ipsud accidens aliud sit atque illud, cui accidit. hinc Plinius ipse dixit: 'sed scire debemus huiusmodi definitores non tam in ratione errare, quam in ordine verborum, ut dicerent personas pronominibus accidere, cum dicere debuissent, finita pronomina non recipere quasi aliunde personas. numquam enim inveniuntur sine personis accidentia.

K. V 50, 8 (Cledonii ars) Finita sunt secundum finitionem personae, ut ait Plinius, infinita generaliter, eo quod plurima sint, ut quis. per omnes enim species nominum currit, ut quis homo, quis equus, quis codex, quis color. Minus quam finita dicuntur quae non significant quod est certum. referunt enim eandem personam de

7 sqq.] cf. Brambach p. 260 sq.

qua ante locutus est, et eam praesentem non esse significant. — Minus quam finita pronomina proprie sunt, quae commemorationem faciunt earum personarum de quibus iam locuti sumus (cf. Explan. in Donat. K. IV 499 sq.).

K. IV 131, 22 (Probi Inst.) De persona. personae pronominum sunt tres, prima ego, secunda tu, tertia ille. hae finitis pronominibus accidunt tantum; item, ut vult Plinius Secundus, et possessivis.

K. IV 137, 11 (Probi Inst.) Nunc etiam hoc monemus, quod Plinius Secundus pronomina possessiva et per quandam mixturam sic putavit esse declinanda, id est intrinsecus et extrinsecus. sed hoc supervacue cunctis artis latoribus visum est disputari, quandoquidem eadem mixtura non habeat rationem, ad quam causam proficiat (cf. Neum. p. 35; K. V 500, 32).

K. V 49, 27 (Cledonii ars) Plinius artigraphos dicentes pronominibus finitis accidere personas reprehendit. tunc enim bene diceretur, si aliud esset pronomen finitum, aliud persona. non enim una res potest esse quae accidit et cui accidit. ergo melius ita dicendum est, ait, eadem esse finita pronomina, quae sunt etiam personae (cf. K. V 201, 5).

K. IV p. 133, 7 (Probi Inst.) Sane hoc monemus, quod Plinius Secundus *hic* tunc voluit dici pronomen, quando solum reperitur declinari, ut puta hic huius et cetera sequentia; at vero si cum alia parte orationis inveniatur declinari, articulum appellari, ut puta hic Cato huius Catonis et cetera sequentia. sed haec discretio a Plinio Secundo cunctis artis latoribus supervacue visa est constitui, siquidem omnis oratio octo partibus tantum instituta sit pronuntiari.

Ch. 110, 23 ⟨de pronomine⟩ Is homo idem compositum facit* nisi quia Caesar libro II singulariter idem, pluraliter isdem dicendum confirmat. sed consuetudo hoc non servat.

Prisc. II 594, 19 H. . . . ‘cum quibus’ et ‘quibuscum’, sic ‘cum me’ et ‘mecum’. nam antiquissimi utrumque

dicebant, sed in plurali primae personae cacemphati causa solebant per anastrophen dicere ʻnobiscum' pro ʻcum nobis'. itaque propter hoc reliquarum quoque personarum ablativos similiter praepostere proferre coeperunt teste Plinio, qui hoc in II sermonis dubii ostendit, et Cicerone; qui ʻde oratore' his utitur verbis: *noluimus ʻcum me' et ʻcum te' dicere, ne eadem conputatione adiungendum esset ʻcum nobis', sed potius ʻmecum' et ʻtecum' et ʻnobiscum' diximus, ʻcum' praepositione, quae facit obscenum, assidue postposita.*

Cf. Ch. 90, 30—91, 22 Quis.

VI. De verbo.*

(Cf. Diomed. 364, 10—388, 9.)

Diom. 368, 3 . . . parco, peperci; sed et ʻparsi' legimus, ut Terentius *egone vitam parsi perdere?* item Plautus *labori ego hominum parsissem libens.* sic enim melius veteres, parsi, declinant. nam parsimoniam, non parcimoniam dicimus. volunt autem quidam grammatici differre, ut parsi semel quid factum significet, peperci autem et semel et saepius. facit autem participium futurum parsurus, ut ait Varro in Laterensi. sed Plinio displicet.

Diom. 368, 24 (vendo) passivum autem eius veneo venii. est tamen apud veteres veneor et venditus sum, et apud Plautum *ego illi venear*; Turranius de agri cultura primo *patrem familias vendacem magis quam emacem expedit esse. nam id melius emitur quam venitur.*

Diom. 369, 15 Aemilius Macer *omnium nostrum neglegerit*

---

14 Diom. 368, 10] cf. Prisc. 511, 25, Neum. p. 54. — 22 Diom. 368, 26] Turranius Gracilis esse videtur, qui in Plinii N. H. compluribus locis laudatur (cf. Teuff. R. L.-G.[5] 132, 6). Alter Turranius (Niger) apud Varronem de r. r. (Teuff. 168, 1) in Plinii N. H. non est. — 27 Diom. 369, 15] Aemilius Macer non est, sed Licinius Macer teste Prisciano 525, 4, qui annales eius laudat, nomen vitiosum et ipse perhibens. Fortasse iam a Plinio peccatum erat, quippe qui in N. H. utrumque virum non discreverit (Teuff. R. L.-G.[5] 223, 5). Falso Maecenati attribuit

auctoritatem, quod est analogiae propius, quia et legerit: necto, nexui vel nexi, Vergilius *palmas amborum innexuit armis*, Livius in Odyssea *nexabant multa inter se,* Maecenas *nexisti retia lecto*, Lucilius satirarum quinto *tum retia nexit.*

Diom. 371, 18 Quippe sancio sancii faciebant, ut Pomponius ad Thraseam *sancierat* et in passivo Cassius Severus *lege sancitum est* ait, item Lucretius *sancitum quandoquidem extat.* nos autem sanxi diximus.

Diom. 374, 13 sino, sivi, ut Publius Rutilius de vita sua *quodsi me invitum abire sivissent*; item Scaurus de vita sua tertio *proelium non sivi fieri*; Terentius* melius tamen dicitur sii, ut Varro epistolicarum quaestionum sexto *ad mortem me perducere non siit*; item Terentius in Adelphis *non siit egestas.* excello legimus crebro apud veteres, ut Cicero de republica *excellunt*, item de oratore tertio *antecellunt*, item de divinatione primo *antecellunt*; Gracchus praeterea similiter cohortatione circum conciliabula *antecellant*; Cicero de officiis primo *antecellimus.* verum tamen Macer Aemilius ornithogonias secundo *cum laude excellet omnis.*

Diom. 375, 16 sallior frequens videtur et tritum ut perfecto tempore salsus sum dicamus. sed veteres ambiguitatem appellationis vitantes et analogiam sequentes sallitus sum dixerunt a positione sallo non sallio, ut Sallustius historiarum quarto ait *reliqua cadavera ad diuturnitatem usus sallere*; Varro ad Ciceronem quinto *ut servarent sallere*; idem antiquitatum humanarum quinto decimo *mortuos sallant*; Severus *distractos atque sallitos*; et Fabianus causarum tertio *cum caro sallita diuturnior,* sallita ut munita. procul dubio sallio dici debebit, cuius frequens perfectum videtur sallitus sum potius quam salsus. abscondor absconsus et absconditus; melius absconditus,

---

quod est Propertii (cf. Prisc. 536, 15). — 25 Diom. 375, 19] de loco Sallustiano cf. Prisc. 546, 12; Diom. 375, 20: Varro de l. l. V § 110 Sp. — 28 Diom. 375, 22] cf. Prisc. 546, 21: Cornelius Severus in VIII de statu suo: *ad quem salliti pumiliones afferebantur.* Veri simile est apud Diomedem quaedam intercidisse.

quia simplex condor conditus, item ⟨abscondor⟩ absconditus. deleor delitus et deletus: Cicero ad filium *ceris deletis*, Varro in ‖ [376, 1] praetorina *delitae litterae*, Calvus alibi ad uxorem *prima epistula videtur in via delita.* ostendor ostentus, quoniam sit tendor tentus. nam ostentatus est frequens: P. Rutilius de vita sua *uni una ostentata est*; idem pro L. Cesutio ad populum ex hoc derivavit participium *quod ego me spero ostenturum,* non ostensurum neque tensurum. melius ostenturus dicimus, quoniam ex temporibus perfectis passivis futura participia activa derivantur, velut amatus sum amaturus. et Labienus item pro Figulo *ostenta promissione*, Varro rerum rusticarum primo *locus optimus vino sit et ostentus soli*, non ostentus nec tensus. sed quia cacemphaton videtur, deorum vehiculum tensam dixerunt, ne verbum turpe sonaret in sacris. expergiscor experrectus et expergor expergitus, expergefio expergefactus. sed expergitus dicitur qui satiatus somno sponte evigilat, unde et Lucilius ait [ego] *e somno pueros cum mane expergitus clamo*; experrectus autem a quiete impeditus, unde Sallustius *interdum somno experrectus arreptis armis tumultum facere.* expergefactus porro est qui per alium somno excitatur. fatigor fatigatus sum facit, non fessus, et longe falluntur qui opinantur ex eo quod fatigat fessus derivari: nam fessus appellatio est. differt autem fatigatus a fesso, ut Verrius ait, quod fatigatus, cum quis per alium laborare conpellitur, ut lassatus, fessus vero, cum quis labore deficitur, ⟨ut⟩ lassus. inseror

---

2 Diom. 375, 27] Keilius Priscianum laudans ita legere vult: Cicero ad filium *ceris delitis,* item ad Calvum *delitae litterae*, alibi ad uxorem *prima epistula videtur in via delita,* Varro in Plutotoryne. — 7 Diom. 376, 3] idem pro L. Cesutio ad populum; Prisc. 520, 23: Cato pro Lucio Caesare ad populum; Peter, hist. rel. p. CCLXV censet Catonis pro Caesetio orationem significari. — 11 Diom. 376, 8] Libius, lege: '*Labienus*', qui a Plinio, Ch. 77, 14 laudatur; cf. die Quellen in den gr. Büchern u. s. w. p. 508. Haud scio an Quint. 1, 5, 8, ubi Pliniana inveniuntur, locum eiusdem Labieni pro Figulo in Pollionem ex Plinii libris hauserit.

insertus et insitus facit; et tradunt quidam insitus arborum et pomi esse, insertus hominis vel alicuius rei. [377, 1] fallor falsus sum facit, ut Vergilius *falsi implevit genitoris amorem.* significat enim qui fallebatur. educor eductus sum facit; sed frequentius Cicero *educatus* et *educata* dicit; Vergilius *eductum Egeriae lucis.* ordior orsus sum facit et tam incipientem significat *sic orsus ab alto*, ut Vergilius, quam desinentem, ut idem *sic orsus Apollo | mortalis visus.* figor ambigue declinatur apud veteres tempore perfecto. reperimus enim fictus et fixus: Scaurus de vita sua *sagittis* inquit *confictus*, Varro ad Ciceronem tertio *fixum*, et Cicero Academicorum tertio **malcho in opera adfixa* et Vergilius *si mihi non animo fixum.* conperior et conperio differunt. nam conperior, ex mea opinione colligo et conpertum habeo, pro explorato didici; quod verbum deficit in futuro et imperativo: conperio est ab alio cognosco. meditor et meleto ⟨differunt⟩, et putat Plinius meditantem esse secum cogitantem, meletantem cum voce discentem. sunt quaedam verba *r* littera terminata ex diversa positione derivata quae eadem sortiuntur perfecta, ut pandor panderis; exigebat analogia ut pansus dicamus, sed passus dicimus, ut Vergilius *crinibus Iliadis passis*: item patior pateris passus sum: vertor verteris versus sum, ut *versaque iuvencum | terga fatigamus hasta*: item verror verreris versus sum, Vergilius *et versa pulvis inscribitur hasta.* melius est

---

17 Diom. 377, 18 *meditor et meleto* cf. Anecd. Helv. p. 289 *inter meditamur et melitamur hoc interest, quod meditamur animo, melitamur corpore.* Videtur tamen eadem esse differentia. At quod in sylloge illa differentiarum tolerandum est, non aeque est in Plinio. Sequitur autem (Diom. 378 supra) alia differentia non minus ieiuna inter luxurior et luxurio, testimonio C. Severi illustrata. Itaque omnibus perpensis et his et iis, quae sequuntur legendum esse existimo: *meditor et medito* (Neum. p. 53 comp. Serv. ad Verg. ecl. I 2).

Diom. 378—88. In his plura esse, quae iure Plinio attribuas, colligi potest ex scriptoribus quos laudat Diomedes.

enim tracta intellegere quam inversa. luxurior in crimine est, ut Cornelius Severus ait *luxuriantur opes atque otia longa gravantur*; luxurio autem in laude, ut Vergilius *luxuriatque toris*. significat enim non lasciviam mentis sed habitudinem. (De aliis vestigiis Plinianis vide p. 37 infra.)

Prisc. 393, 7 amplecto quoque pro amplector et complecto pro complector. sed et eorum et superiorum omnium usus tam apud Caprum quam Plinium et Probum invenies.

K. V 233, 34 (Pomp. comm.) adūlo media syllaba producitur. plane in isto verbo Plinius Secundus dedit unam rationem. quid est adūlo et quid est adūlor? dicit discretionem per casus. quando vis quasi activam significationem introducere, accusativum fac, adulo illum; quando vis quasi passivam significationem introducere, dativum fac, adulor illi: et adulo illum et adulor illi. et re vera hanc rationem etiam Cicero secutus est: nam in fine Pisonianae in ultimo capite ita dixit, *omnes adulantem*, non dixit 'omnibus adulantem'. ergo adulor illi dicimus [et adulo illi] et adulo illum.

Serv. ad Aen. VII 273 mens augurat] auguro dicimus secundum Plinium, cum praesagio mentis futura colligimus, auguror vero tunc, cum futura veris captamus auguriis.

Serv. ad Aen. I 546 si vescitur aura] vescor illa re, ut alibi *vescitur . . . extis*. nec nos decipiat quod dicit Pli-

---

Sed maxime apparet ex Ciceronis l. de gloria (Diom. 382, 26), quod opus et Ch. 81, 13 et 133, 9 in Plinianis invenitur, tum ex iis quae sunt Diom. 385, 30 (Scaurus de vita) et 387, 6 (Valgius Rufus). — 6 Prisc. 393, 7 amplecto] Inde a pag. 380 complures auctores miscentur. Pliniana hic illic per scriptores, quos Plinius solus adhibere solet, facile eruas. Non sic tamen multum proficimus. Neque magnae utilitati est caput illud Gellianum (N. A. 18, 12) neque Nonius (de contrariis gener. verborum). In hoc rerum statu relegare ad hos, qui aliena pro suis venditant, satis habeo. cf. Schmidt, de Nonii Marcelli auctoribus gramm. p. 61. Quisquis fuit auctor, de Valerio Probo Berytio minime cogitandum esse mihi constat. — 24 Serv. ad Verg. Aen. I 546] cf. ad Aen. II 64, IX 631, X 643.

nius, ut elocutiones ex similibus formemus; nam ecce comedo illam rem dicimus, nec tamen vescor illam rem. et ipse enim dicit non usque quaque hoc esse faciendum.

Prisc. 513, 7 nanciscor etiam nactum facit absque *n*, ut Probo, et Capro et Pollioni et Plinio placet.

K. V 227, 23 (Pomp. comm.) Vide definitionem Plinii Secundi, quem ad modum definivit fortiter, et definivit, quid est activum, quid passivum. et si vere quaeras secundum rationem, hoc est quod dixit Plinius Secundus: dicit 'activum et quod alio patiente nos facimus, passivum est quod alio faciente nos patimur'.

VII. De derivatione.*

K. V 164, 13 (Pompei commentum) Ait Plinius Secundus, secutus Varronem, quando dubitamus principale genus, redeamus ad diminutionem et ex diminutivo cognoscimus principale genus (cf. tamen Ch. 105, 8).

K. V 144, 9 (Scimus enim aut intentu loquentis aut per usurpationem fieri derivativa. non possum tibi dicere, derivativum ita exit, mons montanus, fons fontanus, ut in *nus* exeat; non possum tibi istas regulas dicere. invenimus enim varias declinationes fons fontius fontanus, mons montius montanus. ergo vides quoniam varie invenimus et fontius et fontanus et montius et montanus. idcirco in derivationibus sequere praecepta Plinii Secundi). ait enim 'debes quidem adquiescere regulis, sed in derivativis sequere auctoritatem'. vide ne velis aliud dicere, quam legisti. Alba civitas: alii dicunt Albanus, alii Albensis. quae ratio est? numquid possumus scire, quare sic [quid] invenitur. Caesar quidem in libris analogiae 'duae sunt Albae, alia ista quam novimus in Aricia, et alia hic in Italia. volentes Romani discretionem facere, istos Albanos

---

4 Prisc. 513, 7] cf. K. VII 95, 19, Quaestiones novae p. 37. — 6 K. V 227, 23] Neum. p. 52. Plinius distinguit duas significationes verborum (genera) activum et passivum (cf. adn.).

dixerunt, illos Albenses’. non quoniam nescientes unam derivationem esse hoc fecerunt, Caesar hoc dixit, sed ut facerent discretionem inter colonos, inter illos et istos. Plinius Secundus negat et ait sic ‘indifferenter haec inveniuntur’. nam puta hoc bene dicimus de Alba. quid facimus de Antia? puta si dicas Antia, alter Antiates dicitur, alter Antianus. quo modo possumus invenire istas derivationes? quae ratio est ut ita sint? Siculus et Siciliensis invenimus. quae ratio est? Sardus et Sardiniensis. quamquam in Cicerone in Scauriana invenimus istam discretionem de Sardis et Sardiniensibus, ut illos incolas, illos advenas doceat. sed tamen melius est ut sequaris praeceptum tanti viri, Plinii Secundi.

(Ch. 106, 1 Albani dicuntur ab Alba, Albenses autem ab Alba Fucente. cuius rei causam Varro ait esse, quod analogia in naturalibus nominibus tantum servatur, in voluntariis vero neglegitur. nam ut a Roma Romanus dicitur, a Nola Nolanus, ab Atella Atellanus, sic Albanus ab Alba dici debet. in illa autem Fucente Alba hoc non conservatur, quod alterius nomine cognominatur. quod magis apparet, cum dicimus Hispanos et Sardos, item Hispanienses et Sardinienses. nam cum dicimus Hispanos, nomen nationis ostendimus; cum autem Hispanienses, cognomen eorum qui provinciam Hispanam incolunt, etsi non ⟨sunt⟩ Hispani.)

Serv. ad Aen. IX 703 taurea terga] usurpavit pro ‘taurina’, alibi *taurinis follibus*: unde, sicut et Plinius dicit, derivationes firmas non habent regulas, sed exeunt prout auctoribus placet.

Serv. ad Geo. IV 127 Corycium vidisse senem] male autem quidam ‘Corycium’ proprium esse adserunt nomen, cum sit appellativum eius, qui more Corycio hortos excoluit: quod etiam Plinii testimonio conprobatur.

VIII. De interiectione.

Serv. ad Aen. II 69 Heu modo una est syllaba, sed interdum propter metrum duae fiunt, ut *eheu quam pingui macer est mihi taurus in ervo,* sicut prendit et prehendit, et secundum Plinium multa sunt talia.

IX. De adverbio.*

Ch. 187, 20 Plinius Secundus inter adverbia qualitatis posuit dicendo, legendo, dicendi, legendi, quae quidam amplius verba putant infinitiva vel usurpativa, de quibus et supra notavimus (cf. Ch. 175, 25).

X. De gradu comparationis.

Serv. ad Aen. VI 304 Iam senior] aut pro positivo posuit, id est senex: aut, ut diximus (V 409), 'senior' est virens senex, ut 'iunior' intra iuvenem est: quam rem a Varrone tractatam confirmat et Plinius.

XI. De coniunctione.*

Ch. 225, 29 ... relativae ad aliquid, ut Plinius ait, sive conparativae hae, magis potius immo, in hunc modum, 'hic eat, immo ille vel potius ille'. idem ait Plinius potestatem habere conparandi tam quam; sed haec adverbia videntur magis similitudinis, ut 'tam quam bonus amicus' et 'tam ille quam hic'.

Diom. 416, 17 Sunt item praeterea, ut ait Plinius, inlativae hae (coniunctiones): quamquam, quamvis, etsi, tametsi.

XII. Observationes de variis rebus.

Ch. 139, 7 Os oris. omne enim *s* littera terminatum nomen neutri generis non potest in declinationem veniens

non per *r* litteram strepere, ut idem Plinius eodem libro scribit, et addidit ‘licet os corporis correptius diceretur, os vero faciei productius diceretur’.

Ch. 139, 15 Oxo Varro ad Ciceronem XIII *olivo et oxo putat fieri,* inquit Plinius sermonis dubii libro VI.

Probi Inst. 89, 10 (K. IV) Item in hac supra dicta forma quaeritur a Plinio Secundo, paries quia isdem litteris nominativo vel vocativo casu numeri singularis definitur, quibus et illa nomina, quae ab *e* producto venire reperiuntur, qua de causa non et hoc nomen ad *e* productum pertinere pronuntietur.

Placidi glossae p. 58 (ed. Deuerl.) Ingluviem] Cornutus ‘ventrem’, Plinius ‘edacitatem’.

Gregor. Turon. in praef. lib. I de vita patrum: Et quaeritur a quibusdam, utrum vita sanctorum, an vitas dicere debeamus, Aulus Gellius quoque et complures philosophorum vitas dicere voluerunt: nam Plinius auctor in tertio artis grammaticae libro ait: *vitas antiqui cuiuscumque nostrum dixerunt, sed grammatici pluralem numerum non putaverunt habere vitam.* Unde manifestum est melius dici vitam patrum, quam vitas, quia cum sit diversitas meritorum virtutumque, una tamen omnes vita corporis alit in mundo.

Ch. 105, 1 Bonae frugi sine *s* veteres dixerunt. sed nunc quidam bonae frugis cum *s* pronuntiant, cum antiqui ad frugalitatem, non ad frugem hanc elationem referre sint soliti.

Ch. 105, 9 *Φυλακτήριον* quod Graeci appellant amuletum Latine dicimus. nam et Varro divinarum XIII ita dixit, sive a molliendo, id est infringendo vim mali, sive ab aemulatione.

Ch. 108, 27 Suovetaurelia quidam putant dicenda a victimis sue-ove-tauro. sed Valgius de rebus per epistulam quaesitis solitaurilia dicta ait esse a solis maribus *sumptum esse.

Ch. 109, 1 Quo loco per *o* et quo loci per *i* Varro posse dici in epistulicarum VI scribit, sed ita ut, si de pluribus locis quaeras, velut in Italia quid puta sit an in Graecia, quo loco dicas; respondetur hoc loco; si ⟨autem de unius loci parte quaeras, tunc quo loci⟩ per i; sicut 'quis is est homo?' in multitudine dicitur. cum autem 'quid hoc est hominis?' quaeritur, inquit, de alicuius quaero hominis qualitate.

Ch. 109, 10 Plure aut minore emptum antiqui dicebant: Cicero *plure venit* et Lucilius *plure foras vendunt.* sic consuetudo pluris et minoris dicit.

Ch. 110, 3 Sibyllam Epicadus de cognominibus ait appellatum qui est Sibullinis libris primo sacrum fecit, deinde Syllam; qui quod flavo et compto capillo fuit, similis Syllae sunt appellati. inde effeminati hodieque in ludo syllae dicuntur, quos vulgo inprudenter populus appellat. ceterum Psylli sunt in Africa serpentibus medentes, sicut in Italia Marsi (cf. Prisc. II 524, Pl. n. h. 7, 13 et Froehde de C. I. R. p. 595).

Ch. 81, 28 (?) Nudius tertius hoc significat, nunc est dius tertius; item nudius quartus. sed quaeritur de futuro utrum dicendum sit die quarto et die quinto ⟨an diequarte et diequinte,⟩ sic uti perendie cum dicitur. sed quibusdam displicet, propterea quod cum dicimus perendie, postponimus die; cum vero diequarte praeponimus. sed veteres non aliter locuti sunt. sunt enim coniuncta et nominatur per ea tempus, non numeratur, ut in illis, nudius tertius et nudius quartus.

Cf. Ch. 76, 3 Assarius, Ch. 96, 15 nemo.

XIII. De vitiis orationis.

K. IV 447, 5 (Servii comm. in Donatum) Quaesitum est apud Plinium Secundum, quid interesset inter figuras et vitia. nam cum figurae ad ornatum adhibeantur, vitia vitentur, eadem autem inveniantur exempla tam in figuris quam in vitiis, debet aliqua esse discretio. quidquid ergo scientes facimus novitatis cupidi, quod tamen idoneorum auctorum firmatur exemplis, figura dicitur. quidquid autem ignorantes ponimus, vitium putatur. nam sicut superius diximus, ⟨si⟩ sciens quis dicat *pars in frusta secant* et causa varietatis hoc dicat, figuram facit; si autem nescius, cum aliud velit dicere, incongrue inter se numeros iunxerit, soloecismum fecisse iudicatur.

K. V 292, 13 (Pomp. comm.) Plinius sic dicit, 'quando sit soloecismus, quando sit schema; sola intellegentia discernit'. noli te referre ad illud, quod diximus de metaplasmis. nam et in soloecismo hoc quaeritur, utrum sciens hoc fecerit, an nesciens: si sciens fecerit erit schema; si nesciens fecerit, erit soloecismus. qua ratione? puta 'pars in frusta secant'.

K. IV 444, 3 (Servii comm. in Donatum) Plinius autem dicit barbarismum esse sermonem unum, in quo vis sua est contra naturam. barbarismus autem dicitur eo, quod barbari prave locuntur, ut siqui dicat Rumam pro Roma.

K. V 283, 18 (Pomp. comm.) Et vide quem ad modum expressit Plinius, quam bene et integre dicit. quid est barbarismus? quod non dicitur per naturam. quid est soloecismus? quod male per artem dicitur. nam re vera barbarismus per naturam non potest dici.

XIV. De praepositione.

K. VII 355, 20 (Audacis excerpta) Super praepositionem Plinius Secundus ex his tribus praepositionibus, id est supra, de, in, vult habere significationem, ut puta supra *saeva sedens super arma,* item *socii exanimem super*

arma ferebant id est supra: de, *multa super Priamo rogitans, super Hectore multa,* id est de Priamo et de Hectore; item in Iugurthino bello *ne super tali scelere suspectum se haberet,* id est de tali scelere: in, *gemina super arbore sidunt,* id est in arbore; item *fronde super viridi* hoc est in viridi fronde.

XV. De orthographia sive de dubiis nominum formis (cum differentia verborum saepe coniunctis).

Ch. 120, 32 Aenea, hic *Aenea* sine *s* Varro dixit in Age modo (Quint. I 5, 62).

Ch. 58, 15 Calumnia prima syllaba correpta effertur. venit enim a verbo calvor, hoc est frustror.

Ch. 58, 17 Mensam sine *n* littera dictam Varro ait, quod media poneretur; sed auctores cum *n* littera protulerunt, Vergilius saepe. sed et mensam cum *n* posse dici idem Varro ait, quod et mensa (*βρωτά*) edulia in ea [escolenta] ponerentur.

Ch. 58, 21 Palilia dicuntur. Pales enim dea pastoralis est, cuius dies festus ⟨Palilia⟩; nisi quod quidam a partu Iliae Parilia dicere maluerunt.

Ch. 58, 23 Camara dicitur, ut Verrius Flaccus ad-

---

11 Calumnia] N. *calumnior.* — 13 mensa] locus paulum corruptus, per coniecturam restitutus. — 19 Palilia] *cuius die festus nisi*; om. N. *Palilia.* — 21 camara] vide Keilii adn.

7 De orthographia, cet. Haec pars et ea quae sequitur de dubiis generibus et numeris totius huius fragmentorum collectionis plurima continet dubia et incerta, ut diu haeserim utrum ea recipere an omittere praestaret. A lemmate *Alexander* et *Teucer* (Ch. 83, 30) incipiunt Pliniana, in quibus paucissima sunt quae Plinio non attribuas, quod interrogationis signo indicavi. Quamquam in priore parte tam multa sunt, quae a Pliniano opere vix seiungas, ut ea neglegere non audeam. — 13 mensa] Varro de l. l. V 118: *mensam . . . quod a nobis media et a Graecis mesa, mensa dicta potest; nisi etiam quod ponebant pleraque in cibo mensa.* Nemo non intellegit veteres hoc vocabulum aut a graeco *μέσος* aut a latino metior deduxisse.

firmat, non camera per *e*. sed Lucretius *cameraeque caminis exterritibus* dicendo etiam cameram dici posse ostendit.

Ch. 73, 17 Pulchrum Varro adspirari debere negat, ne duabus consonantibus media intercedat adspiratio; quod minime rectum antiquis videbatur. unde et sepulcrum hodieque manet, quod sit seorsum a pulcro propter recordationem doloris.

Ch. 75, 4 Servus, cervus, vulgus a quibusdam per *u* et *o*, videlicet quia duae vocales geminari, ut unam syllabam faciant, non possunt. sed per duo *u* scribi debent, quia et sic sonant et ambiguitas casuum tollitur et unum *u* loco consonantis accipitur (Quint. I 4, 11).

Ch. 75, 8 Assiduus quidam per *d* scribunt, quasi sit a sedendo figuratum, sed errant. nam cum a Servio Tullio populus in quinque classes esset divisus, ut tributum prout quisque possideret inferret, ditiores, qui asses dabant, assidui dicti sunt. et quoniam soli in negotiis puplicis frequentes aderant, eos qui frequentes adsunt assiduos ab assibus dixerint.

Ch. 75, 13 Tus a tundendo sine adspiratione dicitur, quamvis Iulius Modestus *ἀπὸ τοῦ θύειν* tractum dicat (Quint. I 4, 21: tractio).

Ch. 75, 16 Podagrosus a podagra bene dicitur, sed et podagricus a pedum aegritudine, cuius exemplum apud Laberium est in aquis . . . (cf. K. IV 212).

Ch. 103, 15 Cassidem dicimus nos ab eo quod est haec cassis; sed multi cassidam dicunt, ut Propertius *aurea*

---

4 pulchrum] cf. Servius ad geo. III 223: tria tantum habebant nomina, in quibus *c* litteram sequeretur aspiratio: *sepulchrum, orchus, pulcher*, e quibus *pulcher* tantum hodie recipit aspirationem. Cicero, Orat. 48 § 160, qui pulcer dicere mavult, sed usum loquendi populo concedit. cf. Ch. 82, 7: *Graccus et ortus sine adspiratione dici debere Varro ait.* — 14 assiduus] Bramb. p. 145; male deduxerunt veteres ab asse dando, unde orta est assimilatio satis antiqua. — 21 tus] Serv. ad geo. I 57: sane *tus* modo sine aspiratione dicimus. . . . tura enim a tundendo dicta esse voluerunt.

cui postquam nudavit cassida frontem, et Vergilius *aurea vati | cassida* (K. V 576).

Ch. 75, 18 Aeditumus dicitur qui aedem servat, quasi aedis intimus, ⟨dicitur etiam aedi⟩tuus ab aede tuenda.

Ch. 75, 20 Lanius dicitur, ut Terentius *lani coci*, et Sallustius *quin vinarii* ⟨*laniique*⟩; ubi illud quoque notabimus vina⟨rium dici⟩. lanio autem quasi deminutio est lanii.

Ch. 76, 19 Delirus a lira, aratri ductu, appellatur. potest tamen delerus per *e* ἀπὸ τοῦ ληρεῖν conpositum videri.

Ch. 81, 6 Sincerus dicitur, non sinceris, ut Vergilius ait *insincerus apes tulerit cruor*; sed neutraliter hoc sincere dicitur, ut Terentius *si istud crederem | sincere.*

Ch. 81, 20 Quinquatrus, sed non quinquatria. non enim dictae sunt quinque dies sacrae, sed quod quintus dies Iduum, quas atrus antiqui dicebant; sive a quinquando, id est lustrando, quod eo die arma ancilia lustrari sint solita.

Ch. 82, 5 Iuris consultus dici debet, non iure consultus; licet Cicero pro Murena ita dixerit, et Lucilius II, ut iure peritus.

Ch. 82, 7 Graccus et ortus sine adspiratione dici debere Varro ait; et ortum quidem, quod in eo omnia oriantur, Graccum autem a gerendo, quod mater eius duodecim mensibus utero eum gestaverit, vel a gracilitate corporis, ut quidam volunt. sed consuetudo et Gracchos et hortos cum adspiratione usurpavit (cf. p. 46, 4 et adn.).

Ch. 82, 12 Conlactaneus dici debet. nam collacteus nemo dicit.

Ch. 83, 13 . . . item caprina et apruna cur dissimiliter derivetur quaeri solet. quibus respondebimus utrum-

---

10 delirus] delirus a 'lira' teste Varrone apud Vel. Longum p. 73 K. VII. — 24 Graccus] cf. Quint. I 5, 19, Bramb. p. 283. — 30 conlactaneus] Bramb. p. 302 adn.

que per *i* proferri debere, sed in alio usum *u* litteram celebrasse, quamvis Lucilius *viscus aprugnum* dixerit.

Ch. 83, 16 Heber et hebriacus ne dixeris. 'bria' enim est vas vinarium, unde hebrius et hebria dicitur [hebrius] hebriosusque et hebriosa, sicut a negotio negotiosus et negotiosa. cui contrarium est sobrius, quod nomen comparari non debet. neque enim sobrior neque sobrissimus dici potest, quamvis Laberius sobrior, dixerit.

Ch. 86, 11 Torpor et animi et corporis dicitur debilitatio, scilicet a torpedine ⟨pisce⟩, cuius contactu corpus hebetatur; unde Sallustius hoc idem vitium torpedinem dixit.

Ch. 86, 14 Favitor antiqui dixerunt; at fautor nec auctoritate nec ratione deficitur.

Ch. 90, 3 Gliris nominativus est hic glis, non glir, ut quidam volunt. nam Varro in Admirandis ait *in silva mea glis nullus*, et Cato in Originibus* . . .

Ch. 95, 3 Ad aequas an ad aquas vocare dici debeat quaesitum est. qui aquas dicunt enarrant quod ex luco Camenarum aqua religiosa adferri soleret purificandi causa. sed melius ad aequas, quod olim greges equorum in circum inducebantur ibique per populum cursu aequabantur.

(Ch. 95, 7 Vinea uvarum et machina ⟨belli dicitur. haec⟩ distinguenda quidam existimant, ut aliud per ĕ, aliud per ē proferatur. sed cum auctores id non observaverint, supervacuum est nos observare, praesertim cum in aliis non distinguamus. nam scorpium tam animal appellamus quam militare tormentum; item musclum et arietem (cf. Caper p. 100).

Ch. 96, 9 Alicam sine adspiratione dictam Verrius tradit, et sic multi dixerunt; ⟨quamvis⟩ Lucilius XV *nemo est halicarius posterior te* cum adspiratione ⟨dixerit⟩.

Ch. 96, 13 Polenta dici debet per *o*; cuius rei Ver-

---

12 favitor] teste Nonio p. 110 apud Lucilium invenitur; Bramb. p. 284. — 14 gliris] = Ch. 131, 16 (Plinii).

rius Flaccus rationem ⟨hanc reddit, quod⟩ ad usus hominum poliatur.

Ch. 97, 15 Manibias per duo *i* dicendum, quia sunt a manibus, ut putat Verrius ⟨Flaccus dictae⟩. sed et manubiae per *u* dici possunt a m⟨anu, quia sunt⟩ virtute contractae.

Ch. 98, 12 Erumnam Ennius ait per *e* solum scribi posse, quod mentem eruat, et per *a* ⟨et *e*⟩, quod maerorem nutriat.

Ch. 104, 27 Bovile vetat dici Varro ad Ciceronem VIII et ipse semper *bubile* dicit; sed Cato de abrogandis legibus *bovile* dixit.

Ch. 106, 20 Nomenclator sine *a* dicitur, ut Verrius ait, velut nominis calator.

Ch. 109, 9 Spongia sine *h* dicenda est. nam et Graece *ψιλῶς* dicitur *σπόγγος*.

Ch. 83, 30 Alexander et Teucer dici debet; sed et Alexandrus et Teucrus dici possunt, ut Vergilius, Teucrus et Euandrus, secundum illam scilicet rationem, qua nomina Graeca in *ος* exeuntia Latine in *us* exire Aurelio placet; contra quam tamen regulam qui in Graecis *ἀγρός* idem a nobis ager dicitur, ideoque et in his et ⟨in⟩ ceteris ante omnia consuetudo sequenda est.

Ch. 84, 5 Puer et in feminino sexu antiqui dicebant, ut Graeci *ὁ παῖς καὶ ἡ παῖς*, ut in Odyssia vetere, quod est antiquissimum carmen *mea puer, quid verbi ex tuo ore audio?* et in Nelei carmine *eaque prisco saucia puer filia sumam;* ubi tamen Varro cum *a* puera putat dictum, sed Aelius Stilo magister eius, et Asinius contra.

---

10 bovile] vide Keilii adn.

7 erumna] Ennius sc. grammaticus. — 17 Alexander et Teucer] cf. Ch. 128, 1. — 24 puer] 29 Nomen Asinii Pollionis, ex quo Plinius crebro hausit — nam omnes loci apud Charisium ad eum redeunt — collato loco sequente Prisciani auctorem Plinium esse testatur

Prisc. 233, 12 Aper, apri cuius femininum veteres protulerunt apra, ut Plinius Secundus in I artium.

Ch. 120, 4 Aestifer an aestiferus? Plinius in eodem libro VI 'ut fatifer et aurifer et armiger lucifer furcifer dici debet, quia conposita sunt, nec ut quaedam quasi conposita, velut Euander Teucer, dici debent et interdum *e* littera carere'.

Ch. 101, 17 Insomnia plurali numero significare volunt grammatici somnia, addita scilicet praepositione, ut Graeci dicunt ἐνύπνια; nam et Vergilius *sed falsa ad caelum mittunt insomnia manes*: singulari vero numero vigiliam significare, ut Pacuvius in Antiopa dixit *perdita inluvie atque insomnia*, id est vigilia. sed idem Vergilius insomnia etiam pluraliter pro vigiliis posuit, *quae me suspensam insomnia terrent?* quamvis et hic somnia intellegi possint, quibus ⟨Dido⟩ terreri potuerit.

Serv. ad Aen. IV 9 'insomnia' enim, licet et Pacuvius et Ennius frequenter dixerit, Plinius tamen exclusit et de usu removit.

K. V 578, 7 Erinaceus, non ericius. tamen Rabirius *portarumque fuit custos ericius.*

Ch. 130, 35 Femini Tibullus *inplicuitque femur femini*, non femori, quasi sit hoc femur huius feminis. femen enim nominativo ut semen necdum legimus a veteribus adsertum.

Ch. 145, 27(?) Torcular Afer pro Taurinis. sed torculare dici debet, quia genetivo *a* littera producitur, non ut iubaris lucaris, sed torcularis.

---

3 aestifer] 7 *r littera* N.

20 erinaceus] Plinii propter Rabirii testimonium rarum et unicum. cf. Ch. 65, 9 (Pliniana). — 22 femini] cf. Ch. 87, 2: Hoc femur huius feminis. sed frequenter huius feminis huic femini dictum ⟨est, et⟩ pluraliter tam femina quam femora; ideoque ⟨et⟩ Tibullus hoc ipsum erudite custodit, cum dicit *inplicuitque femur femini,* et Vergilius *eripit a femine.* Alia apud Tibullum inveniuntur (I 8, 26 *femori conseruisse femur*). — 26 torcular] Afer i. e. Domitius Afer.

Ch. 135, 3 Imber ut september, october, november, december, pater, mater, frater, equester, quoniam quae nec conlationem recipiunt nec in neutri generis cadunt formam, ut Plinius eodem libro VI loquitur, non in *is* casu nominativo singulari sed in *r* debent vocis exitum ducere.

Ch. 95, 18 Inberbi autem dicuntur, non inberbes. sic enim et Varro de actionibus scenicis V *inberbi iuvenes*; sed et Cicero *inberbum perduxit*, non inberbem, et Kalendis Ianuariis de lege agraria *inberba iuventute.* Titus Livius autem XVIII *inberbis singulariter.*

Ch. 135, 10 Lepus leporis, lupus lupi, quia *us* finita nomina masculina et feminina per *i* vel per *us* [aut per *is*] faciunt genetivum, neutra per *is.* excipiuntur in masculinis Ligus ⟨lepus⟩ vetus.

Ch. 135, 13 Laterale an laterare? ubi Plinius eodem libro VI ‘si *r* littera praecesserit in quacumque syllaba, sequi debet *l*, ut augurale. contra si *l* praecesserit, sequi debet *r*, ut molare’. quod περὶ ὀρθογραφίας congruit quaestionibus copulare (cf. Ch. 118, 33).

Ch. 135, 17 Later an lateris. et huic nominativum singularem ablativus restituet singularis, si *e* litteram ⟨de⟩ponat: Varro de sermone Latino V *later lutum iugmenta.*

Ch. 135, 20 Lacer an laceris? ut tener, puer. ultimam enim vocalem si ablativus amiserit, dabit scire ⟨qualis⟩ esse debeat nominativus. Ovidius *mille lacer spargere locis*, quod ita dici ⟨debere et⟩ Caesar de analogia libro II nec non et Valgius de rebus per epistulam quaesitis ⟨disp⟩utant.

Ch. 136, 22 Mugil an mugilis? Plinius eodem libro VI ‘hic mugil’, inquit, ‘ut pugil et vigil. ablativo enim singulari detracta postrema vocali, qualem oporteat nominativum singularem esse dinosces, ut ab hoc consule’.

Ch. 139, 11 Oscen augurum consuetudo dicit; ‘Cicero tamen’ inquit Plinius ‘de auguriis et hic oscinis dixit’ (cf. Ch. 105, 4).

Ch. 88, 10 Supellex magis auctoritate dicitur quam ratione. nam non debet duabus syllabis plus crescere a

nominativo genetivus. quam rationem ut custodirent veteres, multa dure protulerunt, ut ancipes pro anceps et praecipes pro praeceps. nec tamen quis⟨quam⟩ haec supellectilis dicere ausus est, et ideo rectius est cum pluribus stare et quod speciosius est in loquendo proferre.

Ch. 118, 21 Amazon. ‘quamvis nullum nomen Latinum *on* litteris finiatur et ideo Rhodum et Delum accusativo dicamus, tamen quaedam sunt’ inquit Plinius Secundus ‘quae ad nos usque proprios gentis suae vultus formamque custodiant, ut Pluton, Xenophon’.

Ch. 118, 25 Autumnal Varro, *aequinoctium autumnal*, quod idem Plinius eodem libro VI notat. videndum tamen est an reprehensione sit dignum prius illa nobis spectata ratione. nomina quaedam sunt principalia, quae Plinius Secundus eodem libro facientia appellat, ex quibus possessiva nascuntur, quae patiendi vocat, ut aquale. nam Lucilius libro I saturarum arutaenaeque inquit aquales; non ut autumnal. huius autem principale nomen est aqua. quod vero patitur ac tenet aquam aquale, ut equile, sedile, monile, ait idem Plinius [aquale].

Ch. 118, 33 Aqualium an potius aquarium dici debeat quaerit Plinius Secundus et putat, ut laterale laterarium, scutale scutarium, et manuale saxum, manuarium vas, proin aqualis, aquarium dici.

Ch. 119, 3 Animal animale faciet, ut autumnal autumnale, capital capitale, tribunal tribunale: quae patiendi non sunt, ut supra diximus. Plinius Secundus animal, non animale ait dici debere. C. Caesar, quasi indiscretum hoc sit, ait *l* littera nominativo singulari neutra finita nomina eandem finitionem capere quam capiunt *e* littera terminata, huic animali et ab hoc animali, huic puteali et ab hoc puteali.

---

25 animal] 30 *finitionem* lego (cf. Zur Quellenanal. des Char. p. 265).

11 autumnal] Varro, de r. r. III 5, 7 *circiter aequinoctium autumnale*.

Ch. 62, 9 Vectigale ratio poscit, non vectigal. nominativus enim pluralis a singulari plus una syllaba crescere non debet. qui si incipiat duabus syllabis crescere, vectigal dicemus; quod tamen consuetudini extorqueri non potuit, quin vectigal et cervical et capital ⟨et⟩ tribunal animalque contempta ratione dicamus. Lucretius tamen ait *unde animale genus.* genetivus quoque pluralis cum ratione vectigalium faciat, auctores tamen vectigaliorum dixerunt, ut Asinius *vectigaliorum rei publicae curam esse habendam,* et Horatius *anciliorum et nominis et togae*; ut *Bacchanaliorum* Sallustius et *Volcanaliorum.*

Ch. 102, 4 Lactis nominativum alii volunt lac, alii lact, alii lacte ĕ postrema. omnino enim nullum nomen muta littera finitur alia nisi *s.* itaque eruditiores adiunxerunt *t* propter genetivum, quia lactis facit. nam tria praeterea inveniuntur quae littera eadem finiuntur, caput, git, nepet. sed his occurrit quod nullum omnino nomen duabus mutis litteris finiatur. ergo lacte sine vitio dicemus. nam et Cato sic dixit *et in Italia atras capras lacte album habere.* sed et Valgius et Verrius et Trogus de animalibus [heres] lacte dicunt. at consuetudo tamen aliud sequitur.

Ch. 88, 16 Vertex a vertendo dicitur, vortex a vorando, et vult Plinius verticem inmanem vim impetus habere, ut ingens a vertice pontus; vorticem vero circumactionem undae esse, ut *et rapidus vocat aequore vortex.*

K. V 193, 37 (Pomp. comm.) (Iuger . . . tertiae declinationis voluerunt maiores nostri esse hoc nomen. posterior tamen aetas usurpavit sibi unum casum, istum solum ablativum singularem ab hoc iugero). unde in Plinio Secundo legimus quoniam nominativus singularis non debet esse iuger, sed hoc iugerum. nam non potest in ablativo singulari *o* littera terminari in neutro genere nisi a nominativo *um* terminato, hoc templum ab hoc templo.

---

1 vectigal] cf. Non. p. 408, unde perspicuum est Nonium et auctorem Charisii artiore vinculo coniunctos esse.

Ch. 134, 4 Iugeris Ateius ... philologus Pinacon III... sed et Cato his iugeris, ut notat Plinius eodem libro VI. 'iugeribus quidam grammatici' inquit Plinius 'ita dicendum putant, quasi sit hoc iuger tam quam hoc tuber, et ab hoc iugere tam quam ab hoc tubere, et ita ut tuberibus, iugeribus, et tantum iugerum'. Varro rerum rusticarum III *iugerum agelli* et *iugero uno* cum dixerit, idem *in iugeribus multis*; sed et I rerum rusticarum *iugeribus* saepe dixit, quod utique descendit ⟨a nominativo⟩ iuger, ut tuber.

Ch. 87, 22 Gluten Vergilius dixit, *collectumque haec ipsa ad munera gluten.* qua declinatione usus est et Varro de bibliothecis dicens *glutine et citro reficit.* est enim gluten ut stamen subtemen et facit ab hoc glutine ⟨ut⟩ stamine subtemine. sed et glutinum in Scauro *glutinum Daedalum invenisse.* quam declinationem Sallustius sequitur, cum dicit *quasi glutino adolęscebant.*

Ch. 123, 8 Arabis Maro . . . quid ergo, si sic declinavit, ut Plautus in Bacchidibus* et in Poenulo *Arabus murrinus odor* [Arabus] Lucilius XXV, *Arabus artemo.* denique et C. Cassius in epistula quam ad Dolabellam scripsit *Arabi mirifico animo ergo nos fuerunt* inquit. Araps Maro *omnis Araps, omnes vertebant terga Sabaei*; . . .

Ch. 85, 6 Gibber, ut Verrius ait, ipsum vitium dicitur, ut tuber, gibberosus habens gibberem, ut tuberosus. et sane Lucilius ita loquitur, *gibbere magno.* sed Plinius gibbus vitium ipsum ut ulcus, maluisse consuetudinem tradit.

Ch. 147, 9 Volucris, non volucer [sed] ut equester, ait Plinius dici debere.

Ch. 114, 1 Romanus libro de analogia ita inquit,

---

1 iugeris] vide Keilii adn. — 18 Arabis] lacunae signum indicat locum Bacchidum omissum; porro voc. *Arabus* Keilio eiciendum videtur.

11 gluten] = Ch. 131, 19; Sallustius sc. hist. lib. IV (Serv. in Verg. geo. III 156, Aen. VII 632).

'Alacris, licet consuetudo, ut ait Plinius libro VI dubii sermonis, alacer dicat, ut equester ordo. nam et haec alacria ut equestria possunt neutro dici. quia tamen superlationem non capit, ut ⟨acer⟩ acerrimus, dici non debet alacer. sed et Terentius in Eunucho *quidve est alacris* (cf. Ch. 135, 20).

Ch. 120, 14 Ancipes veteres cum ratione dixerunt, ne genetivus ancipitis duabus videretur syllabis crescere: Plautus in Rudente *post alterinsecus est securicula ancipes.*

Ch. 130, 29 Frus, haec frus, quia sic ab Ennio est declinatum annalium libro VII *russescunt frundes*, non frondes. 'fros sine *n* littera, ne faciat' inquit Plinius 'frontis', quasi non dicatur nisi frons τὸ μέτωπον, quod se probare dicit, quoniam antea cum *u* non recipiebat *n*, sed nec cum *u* verteret in *o*: Varro rerum rusticarum libro I *ulmos et populos, unde est fros*, idem antiquitatum Romanarum libro XV *fros faenum messis.*

Ch. 133, 11 Ibes, hae ibes Aemilius Macer, ... *altis ex urbibus ibes,* item *auxilium sacrae veniunt cultoribus ibes.* ubi Plinius libro VI sermonis dubii 'antiquorum' inquit 'regula, quoniam quae *is* nominativo singulari sunt terminata in *es* plurali nominativo clauduntur.'

Ch. 106, 30 *Palumbes* ... Varro autem in Scauro *palumbi* dicit, quod consuetudo quoque usurpavit.

Ch. 72, 19 (?) Russeum grammatici non magis dicendum putant quam albeum aut prasineum, sed russum, ut album prasinum.

Ch. 107, 33 (?) Pecunia per *c* non per *q* scribenda est, ⟨quoniam a pecore dicta est,⟩ et quoniam *q* litteram nusquam volunt poni alias nisi ut duae vocales sequantur quarum prior sit *u*.

Ch. 118, 15 'Amicities' Plinius Secundus sermonis

---

10 frus] lectio corrupta de qua vide Keilii adn. et Bramb. p. 267. — 18 ibes] locus corruptus a Keilio emendatus.

10 frus] Bramb. p. 267.

dubii libro VI ʽut planities' inquit ʽluxuries, mollities et similia veteri dignitate. ceterum rationis via debet amicitia dici. omnia enim nomina, quae nominativo plurali *ae* syllaba finiuntur *e* deposita reddunt nominativo singulari speciem sui iuris ac formae. quod si manus veterum licentiae porrigemus, potest et copies et observanties et benevolenties dici'.

Ch. 103, 24 (?) Leaena dicitur, non lea; sed Ovidius *nec lea cum catulis lactentibus ubere praebet.*

Ch. 103, 26 Capo dicitur nunc; sed Varro de sermone Latino *iterum* ait *ex gallo gallinaceo castrato fit capus.*

(Ch. 103, 28 Gulam, ut Iulius Modestus ait, per *u* scribemus, non per *y*, quae Graecis vocabulis necessaria est et saepe in *u* transit, ut in sue mure* ait in nuro *inter se degularunt omnia.*)

Ch. 104, 1 Leontion et Chrysion et Phanion ex neutris Graecis feminina nostri fecere* et Plautus quod dixit haec Phronesium, et Caecilius Leontium. Varroni autem placet talia nomina dativo tantum casu et ablativo declinari, in ceteris vero sic efferri ut nominativo.

Ch. 105, 5 Scriptulum, quod nunc vulgus sine *t* dicit, Varro in Plutotoryne dixit. idem in annali* *nummum argenteum flatum primum a Servio Tullio dicunt. is IIII scripulis maior fuit quam nunc ⟨est⟩.*

Ch. 105, 12 Scida charta sine adspiratione a scindendo dicta est. sed alii eam cum adspiratione schidam ex Graeco *ἀπὸ τοῦ σχίζειν* dictam putant.

K. IV 211, 12 Masculus dicitur, non mascel, ut genetivo masculi, non masceli faciat.

K. IV 212, 1 Criminosus an criminator? criminosus est criminibus obnoxius, sicut invidiosus invidiae subiectus; criminator autem, qui crimen obicit, accusator qui accusat.

---

10 capo] 11 in voc. *iterum* corruptela est; vide Keilii adn. — 12 gula] 14 *ut insuemur ait in nuro* N. Vide coniecturas apud Keilium. — 21 scriptulum] vide Keilii adn.

K. IV 212, 4 Fetigati an fatigati? melius fetigati, quod fetigo dicatur et fessi, non fassi. fassi autem praeterito tempore confessos, non fatigatos significat.

K. IV 212, 5 Minister an ministrator? minister cottidiani officii videtur esse, ministrator autem ut administrator in re publica vel saepius quid faciens. itaque Cicero oratione secunda pro Cornelio *quare hominem inpugnare non desinunt, nisi remotis ministratoribus.*

K. IV 212, 10 Nasus hic an hoc nasum? antiqui neutraliter dicebant; itaque Lucretius *nasum diductius quam pandius paulo vellem.* qui nunc masculino genere dicitur. nam Cicero *nasus itaque, qui diductus est, quasi murus oculis interiectus esse videatur.*

K. IV 212, 21 Scrupulus hic an et hoc scrupulum? consuetudo quidem hoc scrupulum, erudita vero hunc scrupulum dixit. Cicero pro Sexto Roscio, cum mentionem Chrysogoni facit *hunc sibi scrupulum, qui se dies ac noctes pungit, ut evellatis postulat:* idem pro Cluentio hunc scrupulum dicit. post cuius auctoritatem nemo dubitaverit hunc scrupulum dicere, et quod in eiusmodi quaestiunculis nihil potest analogia. nam Terentius *at mihi unus scrupulus etiam nunc restat, qui me male habet.*

K. IV 212, 30 Salitor an saltor? quod salitorem erudita consuetudo et proba auctoritas indicat, salitor dicimus. alioquin ratio analogiae pro altero est . . .

Ch. 124, 12 Cretum Cicero Tusculanarum libro II *Cretum legis; Cretenses* Ennius ut Varro libro I de sermone Latino scribit.

Ch. 143, 9 Saguntinorum Coelius, Saguntium Sallustius, ut Paulus in Coelii historia libro I notat.

Praeterea cf. Ch. 100, 16 cliens, 71, 12 contagium, 94, 9 praetextum, 73, 7 pulmentum, 102, 1 cilones et Ch. 118, 7, 9; 119, 1; 121, 6; 122, 18.

XVI. De dubiis generibus et numeris (sive de differentia vocabulorum).

A.

Ch. 94, 16 (?) adipatus, -a, -um] . . . opus pistorium quod adipe conficitur omni genere dici potest, et hic adipatus, quo intellegitur panis aut aliud quid, et haec adipata, hoc est pars, et hoc adipatum, opus scilicet. nam et Lucilius V *adipatam* dicit feminino genere; sed ibi iungit pultem.

Ch. 80, 20 Alvum Vergilius feminino genere saepe dixit, sed masculine Calvus *partus gravido portabat in alvo*, et Helvius Cinna *at scelus incestum turpi crescebat in alvo,* et Laberius et Accius frequenter; quod magis usus celebravit.

Prisc. II 262, 17 hic angiportus et hoc angiportum, huius angiporti. sic Plinius Secundus in I artis grammaticae. Terentius quoque in adelphis *id quidem angiportum non est pervium,* idem in Phormione *sed hinc concedam in angiportum hunc proximum* (cf. Non. 190).

Ch. 90, 13 Anguis cum sit masculini generis, dixerunt

---

10 alvum] cf. Prisc. p. 268, 16 — 269, 4; (Helvius) Cinna in Smyrna laudatur; testimonium ipsum varie traditum est. Verisimile est in libro dubii sermonis plura testimonia fuisse, siquidem uterque locus ad eundem fontem reducendus est. Testimonium Accii, quod apud Charisium non est, habemus sine dubio in Pliniano excerpto 268, 17. Sed ante omnia testimonium illud Catonis (Prisc. 268, 19) ex praeceptis ad filium sumptum Plinio tribuendum est, qui ea noverat (N. H. 7, 171). cf. adn. Hertzii ad Prisc. 268, 19, quae non parvi pretii est ad hanc rem confirmandam. — 15 angiportus] sequitur (Prisc. 262, 23): *hic sinus* et *hoc sinum* cum testimonio Varronis, de vita pop. Rom. et Vergilii, ecl. 7, 33 (cf. Non. 547, 21, qui eadem testimonia affert); accedit tertium apud Priscianum ex Plauti Curculione. Hic locus, qui apud Charisium non invenitur, per Caprum fortasse ad Priscianum et Nonium pervenit. — 20 anguis] Plinianum propter testimonium Varronis Atacini (Berl. ph. Wochenschr. 1892, Nr. 50 p. 1572).

tamen et feminini, ut Tibullus *iratae detinet anguis* et Ovidius *mediae Marsis finduntur cantibus angues,* et Varro Atacinus *cuius ut aspexit torta caput angue revinctum* (Non. 191, K. V 572).

Ch. 100, 23 . . . antistes habet antistitam, ut Varro divinarum IV et Cicero in Verrem IV et Polio *Veneris antistita Cupra*; sed et Cornelius Severus *stabat apud sacras antistita numinis aras.*

K. IV 215, 13 (?) Apex generis est masculini, quoniam plurali numero hos, non has apices dicimus. sed cum singularem numerum sonat, alicuius rei acumen significat, ut *fundere lumen apex*; cum vero pluralem, litterarum indicat nomen, cuius locutio in consuetudine est, quando dicimus divinos apices et significamus litteras.

Praeterea cf. K. V 571 aera.

B.

Ch. 99, 3 Balneum veteres dixerunt sive balineum: nihil enim differt, ⟨sed in⟩ privatis; in publicis autem feminini generis, et quidem numero semper plurali frequenter balneas et balineas, nec inmerito. nam parsimoniae causa uno igni duplex balneum calfaciebant pariete interiecto, ut pudor viris mulieribusque constaret (Non. 194, K. V 572).

Ch. 77, 5 Balteus masculino genere semper dicitur, ut clipeus *infelix numero cum apparuit alto* [*ingens*] *balteus,* Vergilius dixit. Plinius tamen vult masculino genere vinculum significare, neutro autem lora ad ligandum apta. sed Varro in Scauro baltea dixit et Tuscum vocabulum ait esse. item humanarum XVIII (Non. 194).

---

24 balteus] de voc. *ingens* male additum cf. adn. Keilii.

9 apex] cf. K. IV 215, 1 sq. — 24 balteus] Varro in Scauro (i. e. in logistoricis l.); sic semper in Plinianis cf. Ch. 88, 2; 106, 30; 131, 24.

Ch. 95, 12 Barbam singulariter in uno homine recte, pluraliter in pluribus dicas. nam et Vergilius de pluribus ait *stiriaque inpexis induruit horrida barbis.* errant enim qui in hominibus barbam, in hircis barbas dici putaverunt. nam hic de hominibus Vergilius loquitur, quamvis et hircorum dixerit barbas, sed, ut dixi, multorum (K. V 572).

*Ch. 90, 1 (?) Brevis dies dicitur, non pusillus. brevis enim in natura, pusillus in corpore.

K. V 572, 28 Bubo avis generis feminini, ut Vergilius *solaque culminibus ferali carmine bubo* (Non. 194).

Praeterea cf. K. V 572, bracae, babae (papae), barones, baxeae, biremae, boves.

C.

Ch. 72, 12 Caelum hoc, cum sit neutrum, etiam masculine veteres dixerunt; et Ennius *quem Caelus genuit,* item *quamquam Caelus profundus* (Non. 197, K. V 573).

Ch. 80, 11 Calamistros Cicero in Oratore masculine dixit, et Varro de scenicis originibus hunc *calamistrum*; sed idem in Triphallo *calamistra*; et Plautus in Curculione *pecten, speculum, calamistrum meum* (Non. 546).

K. V 575 Callis generis masculini, ut Vergilius *per occultos lucebat semita callis* (Non. 197).

Ch. 72, 1 Callum neutro genere dicitur; Cicero Tusculanarum II *ipse labor quoddam callum obducit,* et Plautus in Milite *magis tabello, quam prunum callum callet.* sed Marsus fabellarum VIIII masculino sic *callum sibi pectore quendam* (K. V 575).

Ch. 92, 31 ... calx igitur, sive qua calcamus sive qua aedificamus, feminini generis est, ut et Vergilius ait

---

1 barba] differentia videtur esse Plinii, quam excerptor spernit. — 17 calamistros] Testimonium Cic. Or. 23, 78 etiam est apud Nonium 546. — 21 callis] plura testimonia apud Nonium sunt. — 23 callum] 26 Marsus i. e. Domitius Marsus poeta apud Plin. in N. H. ind. libri 34. De locis eiusdem poetae apud Diom. 319, 13 et Prisc. 168, 16 nihil constat.

ferrata calce fatigat. sic et Lucilius in XIIII masculino genere dixit (Non. 199, K. V 574).

K. V 574 Caminus generis masculini, sicut Pollio Asinius.

Ch. 57, 4 (?) Canitia an *canities* dicenda sit quaeritur. canitia nec inrationabiliter nec abhorride dicitur, et ideo non est ⟨ab⟩ analogia recedendum. canities autem poetico decore in levitatem soni corrupta. est porro prosae orationi πεζῷ λόγῳ, cui poetica mollitia parum convenit.

Ch. 79, 23 Catinus masculino genere dicitur, ut Maecenas in X *ingeritur*, ait, *fumans calido cum farre catinus.* et hinc deminutive catillus fit, ut Asinius contra maledicta Antonii *volitantque urbe tota catilli.* sed Varro ad Ciceronem XI *catinuli* dixit, non catilli (K. V 575, Non. 546).

Ch. 103, 12 Capparim feminino genere dixit Varro de forma philosophiae II. erit ergo haec capparis nominativo. nam et Graece feminine dicitur ἡ κάππαρις.

Ch. 79, 15 Caseus masculini generis est, ut Vergilius *pinguis et ingratae premeretur caseus urbi* et Lucilius XIIII *caseus alia mollit.* sed Pomponius neutraliter dixit in Lenone *caseum molle* (Non. 200, K. V 576, 10).

Ch. 102, 1 Cilones dicuntur quorum capita oblonga et conpressa sunt, chilones autem cum adspiratione ex Graeco a labris inprobioribus, quae illi vocant χείλη; unde et pisces chilones inprobius labrati.

---

5 canitia] 8 *correpta* N — *cum poetica* N.

3 caminus] Plinii est propter testimonium Asinii Pollionis, auctoris Pliniani, in eo fragmento, quod fere totum Plinio tribuendum est. — 5 canitia] Plin. n. h. 31, 91 'canitia', quo vocabulo nemo praeter eum utitur. (cf. Thielmann, die lat. Übers. des Buches Sirach, Archiv VIII 4 p. 513.) — 23 cilones] cf. Festus p. 43, 10 M.: *chilo dicitur cognomento a magnitudine labrorum. cilo sine aspiratione, cui frons est eminentior ac dextra sinistraque veluti recisa videtur.* Apparet haec e Verrii opere esse sumpta. Mihi tamen videtur Plinii manus hunc locum mutavisse, quia illud 'labratum' maxime Plinium auctorem

Non. 198 Cinis masculino Vergilius in Bucolicis *cinis ipse. bonum sit* et Georgicorum lib. I *neve | effetos cinerem inmundum iactare per agros.* feminino apud Caesarem et Catullum et Calvum lectum est, quorum vacillat auctoritas** . . . *cum iam fulva cinis fueris.*

K. V 575, 8 Clibanus generis masculini, ut Melissus docet.

Ch. 100, 16 Cliens communis <generis> est; invenimus tamen et clientam apud Afranium in Pompa *interim tua clienta* et apud Horatium *nec Laconicas mihi | trahunt honestae purpuras clientae.*

Ch. 77, 14 Clipeus masculino genere in significatione scuti ponitur, ut Labienus ait, neutro autem genere imaginem significat. sed Asinius pro Urbiniae heredibus ima-

---

12 clipeus] corruptela est in verbis (p. 62, 14): *magni clipeum* N. Keilius legit cum ed. princ. Neap. *imaginis clipeum.*

prodit, qui magnam copiam eiusmodi verborum in Naturalis historiae libros introduxit (cf. bifidatus, umbilicatus, thoracatus, vertebratus, cet.). — 1 cinis] cf. 101, 8: *Verrius Flaccus masculino genere dici probat, quoniam nis syllaba terminata anima carentia nominativo singulari masculina sunt, ut panis cinis crinis et similia* quod feminino genere dixit cinerem ut Calvus in carminibus 'cum iam fulva cinis fuero', item 'forsitan hoc etiam gaudeat ipsa cinis'. hinc muliebre ministerium cinerarius dicitur. nam Cato in originibus 'mulieres' inquit 'nostrae capillum cinere unguitabant, ut rutilus esset'.* Videmus quam arte cohaereant hi loci, quorum uterque diversis itineribus e Plinii opere ad suos auctores pervenit. — 8 cliens] locus Plinianus propter eos qui sequuntur ibd. vs. 24 auctores Plinianos. — 12 clipeus] Labienus (cf. Diom. 376, 8 et Die Quellen in den gramm. B. u. s. w. p. 508) et Asinius Pollio Plinii sunt auctores. Verum est Plinium in N. H. 35 § 13 sprevisse hanc etymologiam 'a cluendo'; quo factum est ut haec a Plinio abiudicaverint. Neque tamen intellego quomodo hic locus et alter, quem in N. H. invenimus, contrarii sint. Plinius laudat sententiam vel differentiam vulgarem a grammaticis pronuntiatam (*dici ait* non 'dici debere' Ch. 120, 5; 119, 5) in libro II dub. sermonis, quam in N. H. refellit, quantum ex paucis verbis conicere licet: *a cluendo, ut perversa grammaticorum subtilitas voluit.*

ginis clipeum masculine dixit, *clipeus praetextae imaginis positus.* et Livius in significatione scuti neutraliter saepius et Pomponius in Capella, cum ait *clipeum in medium fixum est.* quare ⟨Plinius⟩ dubii sermonis II indistincto genere dici ait, sed littera differre, ut pugnatorium per *i* clipeum dicamus, quod est clipe⟨us⟩ *ἀπὸ τοῦ κλέπτειν*, idest celare, dictus, imaginem vero per *u* a cluendo. sed ... (Non. 196, K. V 574).

Ch. 101, 4 Clunes feminino genere dixit Melissus et habet auctorem Laberium, qui in Ariete sic ait, *vix sustineo clunes** ... et Horatius ⟨*pulchrae clunes*⟩, et Scaevola *lassas clunes.* sed Verrius Flaccus masculino genere dici probat, quoniam *nis* syllaba terminata anima carentia nominativo singulari masculina sunt, ut ... (Non. 196, K. V 575).

Non. 198 Colus generis feminini. Cicero de oratore lib. II: *quid tu Decilla mea? quando ad me venis cum tua colu et lana?* ... (K. V 573).

Ch. 71, 12 Contagium veteres magis usurpaverunt; sed Sallustius contagionem maluit dicere *post ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas inmutata.* Vergilius autem *nec mala vicini pecoris contagia laedent* (Non. 199).

K. V 574, 11 Corbes generis feminini ut Cato (Cicero?) *corbes messorias* (Non. 197).

K. V 576, 7 Corticem priores genere feminino dixerunt: sed nunc masculino genere dici debet, ut Ovidius

9 clunes] locus in N. corruptus, facile sanari potest (cf. K. V 575 et Non. 196). Ad supplendam lacunam utile est quod K. IV 209, 31 *finis — masculini* affert (vide infra s. v. finis).

9 clunes] C. Melissus auctor Plinianus (cf. Teuff. R. L.-G.[5] § 244, 2) grammaticus idemque Maecenatis praeceptor non, ut Teuffelius putat, diversus est ab illo Melisso quem apud K. V 575, 8 s. v. *clibanus* habemus propter vinculum, quod est inter hoc fragmentum et Plinii libros grammaticos (cf. Die Quellen in den gr. B. p. 510). Q. Scaevola poeta (tr. pleb. 54 a. C. n.) in ipso illo fragmento laudatur (575, 24). — 18 contagium] eiusdem auctoris (Plinii) id est, quod Nonius tradit p. 197.

rupto cortice et Vergilius *tegmina quis capitum raptus de subere cortex* (Non. 199).

K. V 573, 19 Crabatum antiqui; nunc grabatum generis neutri, ut Bibaculus *nam meo grabato*.

K. IV 211 Crepido hic an haec crepido magis dici debeat, dubitant non nulli, cum Cicero in Oratore crepidinem dicat, ut vertiginem.

K. V 575, 11 Crinis generis masculini, ut Caesar de analogia (Non. 202).

K. V 576, 5 Crocum generis neutri: sed Macer Aemilius *pallentesque crocos* (Non. 202, Exc. Ch. 548, 13).

Ch. 76, 21 Cubicularius est custos cubiculi, cubicularis vero lectus cubiculo aptus, ⟨ut⟩ caligarius artifex, caligaris clavus, similiter ars, fabrica et iulius fabrius. et cellarius servus, turdus cellaris; et balnearius fur, balnearis autem urceus et solea balnearis. unde perspicuum est Calvum ad amicos non recte dixisse *ne triclinarius*, cum triclinaris dicere maluisset.

K. V 574, 12 Cubitum corporis generis masculini; mensurae autem generis neutri (Non. 201).

K. V 576, 19 Culleum generis neutri, ut Cato *cullea vini*. dixerunt alii culleos; sed non recipitur (Non. 197).

K. V 576, 12 Culmum generis neutri, ut Nepos vult. Cicero autem *erit brevis culmus*. ergo non neutrum nec femininum, sed masculinum, ut Varro *in tritici culmo*. Vergilius dixit *mala culmus*.

Ch. 77, 11 Curriculus masculino deminutio est currus,

---

12 cubicularius] 14 *iulius* vel *iulia* N — 15 *durdus cellaris* N — 16 *murteus* N, *urceus* Putschius.

3 crabatum] 4 M. Furius Bibaculus, auctor Plinii, cf. Ch. 127, 12 s. *duplici*, ubi Plinius laudatur. — 12 cubicularius] Pliniana 1. propter elocutiones Plinianas in -arius et -aris (cf. N. H. 9, 33 et 34, 41), 2. propter testimonium Calvi. — 21 culleum] Apud Nonium est Varro de r. r. I cum eodem testimonio. — 23 culmum] ex Oeconom. Xenophontis-Ciceronis haec: '*erit brevis culmus*', cf. Die Quellen u. s. w. p. 507. — 27 curriculus] Testimonia Ciceronis et Varronis sunt apud Nonium 198 et 263.

neutraliter autem curriculum spatium ad currendum aptum vel ipsum currendi officium, ut Cicero et Varro locuntur (Non. 198, 263; K. V 576).

K. V 574, 1 Cyma, alii cymam, ut Volumnius *stridentis dabitur patella cymae* (Ch. 56, 8; Non. 195).

Praeterea cf. K. V 573 carecta, 575 conpago, cancer.

D.

Ch. 110, 8 Dies communis generis est. qui masculino genere dicendum putaverunt has causas reddiderunt, quod dies festos auctores dixerunt, non festas; et quartum et quintum Kalendas, non quartam nec quintam; et cum hodie dicimus, nihil aliud quam hoc die intellegitur. qui vero feminino, catholico utuntur, quod ablativo casu *e* non nisi producta finiatur, et quod deminutio eius diecula sit, non dieculus, ut ait Terentius *quod tibi addo dieculam.* Varro autem distinxit, ut masculino genere unius diei cursum significaret, feminino autem temporis spatium; quod nemo servavit. nam et secundum distinctionem dixit Vergilius *venit summa dies*, id est tempus, et *ille dies primus leti* pro uno die. tamen et feminino genere diei spatium significat, cum ait *expectata dies aderat.* (Ch. 126, 31; K. IV 210; K. V 577).

K. V 577, 30 Diadema generis neutri, ut Gracchus *purpura et diadema* (exc. Ch. 544, 30).

Ch. 81, 26 (?) Divinitus cum dicimus, ex dei mente factum significamus; divine vero, cum laudamus.

E.

K. V 578, 4 Ebur generis neutri, ut Vergilius *inflavit cum pinguis ebur.* unde et eburnea, non eborea dicendum (Ch. 73, 21).

---

4 cyma] Volumnius; aut is qui scripsit de M. Bruto, aetate Augusti, aut est P. Volumnius Eutrapelus Ciceronis aequalis teste Buechelero N. Jahrb. 111, 126. cf. etiam Zur Quellenanalyse des Charisius p. 261 sq.

K. V 578, 18 Elefantus generis masculini, ut Rabirius *ac veluti Numidis elephans circumdatur altus* (Ch. 127, 22).

Praeterea cf. K. V 578 eculeus.

F.

Ch. 108, 3 Falanx militum dicitur, falanga fustis cui quid deligatur.

K. IV 211, 17 Fastus, id est libellus, generis est masculini et genetivo huius fasti facit. item fastus, ut *stirpis Achilleae fastus,* huius fastus facit.

K. IV 209, 31 Finis generis est masculini, quia quaecumque nomina simplicia inanimalia Romana, id est anima carentia, *nis* syllaba finiuntur, generis sunt masculini, ut finis, crinis, cinis, panis, amnis, quibus similis cum sit finis, generis erit masculini (Non. 198).

Ch. 94, 21 Forfices et forcipes ⟨et forpices⟩ quidam distinguunt, ut forfices sint sarcinatorum a faciendo, ⟨forcipes fabrorum⟩, quod ferrum calidum capiant, forpices tonsorum, quod pilum secent. sed inepta haec esse Lucilius docet, qui etiam medicorum forcipes dicit libro IX *scalprorum forcipiumque | milia viginti,* item paulo post *uncis forcipibus dentes | vellere*; sed et Vergilius in VIII *versatque tenaci forcipe ferrum* (Cassiod. 160).

Ch. 92, 23 Fornax feminino genere dici debet, quod per deminutionem fornacula, non fornaculus facit, et quia omnia nomina inanimalia *x* littera terminata, genetivum si productum habeant, generis sunt feminini, ut lodix lodicis, radix radicis. Vergilius quoque consentit,

---

1 elefantus] Rabirius, auctor Plinianus cf. Ch. 65, 9. — 11 finis] His verbis quodammodo supplentur ea quae corrupte sunt tradita apud Ch. 101, 8 (cf. *inanimalia Romana id est anima carentia* cum Charisii verbis). Vocab. *inanimale* Plinii proprium esse apparet ex locis Ch. 120, 30 et 58, 7; 92, 24. (K. IV 214, 35 *animam habentia*, cf. K. IV 209, 31 *inanimalia — anima carentia*). Dubito an Varronis iam proprium fuerit, cf. Cledon. p. 41, 27 K. V.

cum ait *vulnificusque chalyps vasta fornace liquescit.* thorax autem, cum sit Graecum, his admisceri non debet.

Ch. 71, 27 Forum neutro genere dicimus locum rebus agendis destinatum ⟨vel⟩ cum commercium significamus; et Lucilius *cum illi fora irant.* masculine autem tabulata navium, et semper pluraliter, quamvis Gellius fora navium neutraliter dixerit et Lucilius negotiorum forum masculini extulerit libro III, *forus olim ornatus lucernis* (Non. 206).

K. V 579, 2 Frons generis feminini, ut Vergilius *fronte sub adversa* (Non. 204).

G.

Ch. 80, 5 Galeros Vergilius masculino genere dixit, *fulvosque lupi de pelle galeros,* et Cornelius Severus *flavo protexerat ora galero.* sed C. Gracchus apud censores *cum galeare ursici* dixit; Varro de actione scenica II *haec galearia.* unde et galericula dicuntur.

Ch. 104, 9 Gausapa Ovidius neutraliter dixit *gausapa si sumpsit, gausapa sumpta*, et Cassius Severus ad Maecenatem *gausapo purpureo salutatus.* sed Augustus in testamento *gausapes, lodices purpureas | et colorias meas.* Varro autem ait vocabula ex Graeco sumpta, si suum genus non retineant, ex masculino in femininum Latine transire et *a* littera terminari, velut *κοχλίας* cochlea, *Ἑρμῆς* herma, *χάρτης* charta, ergo *γαυσάπης* gausapa. cui generi elegantiores addiderunt necessitatem, ut dicerent tunicam gausapam, quod quomodo diceretur merito non

---

12 galeros] 14 *cum galere ursici* N sine dubio corrupta sunt; vide Keilii adn.

3 forum] Plinii propter Gellii rerum scriptoris nomen. — 12 galeros] omnes loci Cornelii Severi nomine ornati apud Charisium et Diomedem Plinii sunt. Accedunt testimonia C. Gracchi et Varronis (de actionibus scenicis), ut de Plinii doctrinae specimine non dubitandum sit. — 17 gausapa] cf. Prisc. 333, 5 sq., qui recentiorem auctorem sequitur, quamquam hic auctor Pliniana, quae Charisius l. l. praebet, suis immiscuit.

constitit, quia usus eius apud veteres non fuit. et M. Messala de Antonii statuis *Armenii regis spolia gausapae.*

Ch. 131, 19 Gluten Maro, *et lentum de cortice gluten | collectumque haec ipsa ad munera gluten.* est autem quasi semen stamen. glutine Varro de bibliothecis *glutine* inquit *et citro refecit*, quasi semine stamine. glutinum Varro in Scauro, *glutinum* inquit *ferunt Daedalum invenisse*, quasi gaudium praemium. itaque Sallustius istius potius declinationis usum secutus *glutino* inquit *adolescebant,* ut gaudio praemio (cf. p. 54: Ch. 87, 22).

Non. 208 Greges, ut saepe, generis masculini. feminini Lucretius II . . . *buceriaeque greges* (Ch. 92, 31).

H.

Ch. 103, 21 Harena dicitur quod haereat, et arena quod areat; gratius tamen cum adspiratione sonat. et cum pluralem non habeat, Vergilius ⟨tamen⟩ ait *quam multae Zephyro turbantur harenae* (Ch. 102, 1, 14).

Ch. 102, 20 Heres parens homo, etsi in communi sexu intellegantur, tamen masculino genere semper dicuntur. nemo enim aut secundam heredem dicit aut bonam parentem aut malam hominem, sed masculine, tametsi de femina sermo habeatur. nam Marcus ait *heredes ipsus*

---

18 heres] 22 *nam Marcus ait* '*heredes ipsus secundus*' corrupta sunt. Latet fortasse in nomine 'Marcus': 'Accius' ita ut *m* littera per dittographiam orta sit (ex *namaccus*?). — p. 69, 4 post *matris* excidisse quaedam vidit Keilius.

14 harena] De adspiratione complures loci sunt apud Charisium, quorum antiquiores auctores sunt tum Varro tum Verrius Flaccus tum Iulius Modestus (Ch. 73, 17; 96, 9; 75, 13). Hi tamen sunt ipsi auctores Plinii Secundi, qui cum 'de orthogr.' scriberet, de adspiratione tacere non poterat. Itaque dum nulla causa obstabat, haec Plinianis fragmentis inserenda esse existimabam. In hoc lemmate Plinii doctrinam inesse suspicamur propterea, quod is aures suas consulere non desistebat (Ch. 123, 3). De qua re fusius disputavi in Quellenanalyse p. 259, ubi plura testimonia afferuntur. Differentiam iam a Varrone excogitatam esse testatur Serv. ad Verg. Aen. I 172.

secundus; et Pacuvius in Medo, cum ostenderet a Medo matrem quaeri, ait *te Sol, invoco ut mihi potestatem duis inquirendi mei parentis.* sed Gracchus *suos parentes amat* cum dicit in significatione matris* et in alia epistula *tuus parens sum* ait, cum de se loqueretur. et apud Vergilium sic legimus *ecqua tamen puero est amissae cura parentis?*

Ch. 100, 20 (s. v. cliens) . . . hospes cum sit communis generis, hospita quoque dicitur, ut Vergilius *bellum, o terra hospita, portas.*

I.

Ch. 101, 17 Insomnia (vide sub eo capite, quod est de dubiis nominum formis).

Ch. 100, 26 Intiba neutro genere Vergilius dixit *et amaris intiba fibris*, et sic multi eruditorum. sed et masculino genere frequenter a veteribus dictum est. nam Lucilius in V deridens rusticam cenam enumeratis multis herbis *intibus practerea pedibus* | *perserpsit equinis*, et Aemilius Macer *qualis aget intubus herbas* (Non. 209).

L.

Ch. 103, 4 Labra et labia indistincte dicuntur, et deminutio labella, non labiae, ut quidam volunt. nam Vergilius ait *calamo trivisse labellum.* Verrius autem Flaccus sic distinxit, modica esse labra, labia inmodica, et inde labiones dici. nam et Terentius *labris demissis gemens*, et Plautus *labris dum ductant eum.*

Ch. 101, 1 Large et largiter. Iulius Modestus utrumque recte dici ait, sed large esse qualitatis, largiter quantitatis. unde nascitur largitas vel largitio. nam largitudo nusquam invenitur nisi apud Nepotem.

Ch. 102, 12 Latera lardi vitiose quis dicit. satis

---

21 labra] Keilius adnotavit: *'labiis' quod libri Terentii et Plauti habent, Verrium voluisse adparet; nisi quaedam exciderunt post v. 'dici', quibus Verrii sententia inprobata fuit.*

⟨est⟩ enim lardum dicere. nihil enim aliud intellegi potest. nam latera non sunt nisi capita lardi.

Ch. 104, 5 Lingula cum *n* a linguendo dicta est in argento; in calceis vero ligula a ligando. sed usus ligulam sine *n* frequentat.

Ch. 76, 14 Hic locus et hi loci masculino genere ratione dicuntur. sed et haec loca consuetudo quasi localius usurpavit, non tamen et singulariter neutrum genus admisit, quamvis quidam velut neutro genere Sallustium dixisse *est in carcere locus quod Tullianum appellatur.* sed frustra; 'quod' enim a Sallustio absolute Tulliano coniunctum est (Non. 210).

Ch. 100, 4 (?) Longitudo mensurae est, longinquitas regionis vel temporis.

Ch. 100, 5 Lora correpta prima syllaba et feminino genere dicenda est, ⟨cum vinum aqua corruptum significat⟩, producta autem neutraliter e corio vincula, ut et Lucilius in IX *ipsa si se corio omnia lora.*

Ch. 94, 12 (s. v. praetextum) . . . sumunt enim genus ab his quibus coniuncta sunt; ut puta Lucanicum, intellegitur pulmentum vel intestinum, et hic Lucanicus, auditur botulus vel apparatus, et haec Lucanica feminino genere, intellegitur hira, hoc est intestinum, aut aliud quod unus quisque intellegere voluerit. sumptum est enim nomen ab inventoribus Lucanicis.

M.

Ch. 108, 4 Margarita feminini generis est, quia Graeca nomina ης terminata in *a* transeunt et fiunt feminina, ut ὁ χάρτης haec charta, μαργαρίτης margarita, aut communia, ut ἀθλητής athleta. ergo neutraliter hoc margaritum dicere vitiosum est; et tamen multi dixerunt, ut

6 hic locus] 7 *quasi localius usurpavit* N, *quasi locali usu usurpavit* ed. pr., quod proxime ad sententiam accedit. — 15 lora] quae uncis inclusa sunt add. K. ex cod. Parisini exc. 7530; ibi tamen *correptum* est. — 27 margarita] *epistularum* N, corr. Keilius conf. Ch. 104, 21.

Valgius in epigrammate *situ rugosa, rutunda* | *margarita* et Varro epistulicarum VIII *margaritum unum, margarita plura.* sed idem Varro saepe et alii plures margarita feminine dixerunt; in genetivo tamen plurali non nisi feminino genere margaritarum (Ch. 57, 27; Non. 214).

Ch. 65, 6 M a r g o feminino genere, ut virgo, imago, Karthago et cetera, quae ante *o* habent *g*; ideoque et Aemilius Macer ait *flumina margine summa*, et Rabirius extulit *Idaeos summa cum margine colles.* inveniuntur tamen ex eadem forma masculina, uligo et farrago. quare apud auctores margo masculino quoque dicitur genere, ut apud Ovidium *bracchia longo* | *margine*; et frequenter Varro rerum rusticarum sic.

Ch. 57, 16 M e r u l a an merulus [κόσσυφος] dicendum sit quaeritur. merula dicenda est. avium enim nomina quaedam tantum masculina, quaedam feminina extremitate ita olim consuetudo possedit ut signata potius quam usurpata videatur; masculina, tam quam corvus, gragulus κολοιός, psittacus; feminina, tam quam aquila, ciconia πελαργός, fulica λάρος. hoc quoque de quo quaeritur inpensius in ⟨*a*⟩ merula potius quam per *us* merulus enuntiabitur.

Ch. 72, 23 M e n d u m neutraliter Varro in Admirandis dixit, *magnum mendum*; sed Ovidius feminine *nocte latent mendae,* item *eximet ipsa dies omnis e corpore mendas.* ergo mendum in mendacii significatione dicetur, menda in culpa operis vel corporis (Non. 214).

Ch. 81, 3 (?) M u n i f i c u s est tam quam beneficus et maleficus, munifex autem tam quam opifex et artifex. itaque munificus munera largitur, munifex autem munera fungitur.

N.

K. V 584, 27 N a e v u s generis neutri, sed Varro ad Ciceronem 'hic naevus'.

---

6 m a r g o] vide Keilii adn.

K. V 584, 24 Nasum generis neutri, ut Lucilius *nasum hoc corpusque scutum* (Non. 215, Anon., de nomine K. IV 212, 10).

Ch. 99, 22 Necessitas imperii est, necessitudo sanguinis coniunctio. Sallustius tamen 'necessitudinem' saepe pro 'necessitate' ponit, nec umquam pro 'necessitudine' 'necessitatem' aut ipse aut quisquam veterum (Non. 354).

Ch. 90, 24 Neptis grammatici nolunt dici, quod nomina in *os* exeuntia genetivo singulari *is* finiuntur et non possunt transire in feminina, ut custos custodis, sacerdos sacerdotis, nepos nepotis, et advocant Ennium, quod dixerit ita, *Ilia dia nepos, quas erumnas tetulisti.* sed consuetudo nepotem masculino et neptem feminino genere usurpavit.

Ch. 102, 14 Nihil si dicas, quantitatem notas; si vero nihili adiuncta *i*, hominis mores. cuius nominis origo haec est: hilum Varro rerum humanarum intestinum dicit tenuissimum, quod alii hillum appellaverunt, ut intellegeretur intestinum propter similitudinem generis. unde antiqui creberrime dempta littera hilum quoque dixerunt; unde intellegimus nihil sine aspiratione vitiose dici.

Praeterea cf. K. V 584 nucleus, nix.

O.

Ch. 72, 17 Ocimum consuetudo neutraliter dicit. sed Aemilius Macer ait *inter praeteritas numerabitur ocimus herbas* (Non. 550).

Ch. 99, 8 Olivam grammatici arborem significare volunt, oleam fructum; sed veteres hoc non observaverunt. e contrario enim Vergilius fructum olivam, *nec pingues unam in faciem nascuntur olivae* ⟨arborem autem oleam dixit, *sed truncis oleae*⟩ *melius propagine vites*, et iterum *prolem tarde crescentis olivae.*

Ch. 99, 15 Olympia feminino genere locus ipse dicitur, certamina vero neutraliter. nam Varro ait *Olympia in ludos invitat,* item de poematis *Olympiam non accessit.* sed idem de gente populi Romani III *ludos Olympia fecerat.*

Ch. 57, 23 Haec ostrea feminino genere singulari numero an hoc ostreum neutrali dicendum sit quaeritur. et dicenda haec ostrea feminine singulari numero, quia ita ab eruditis non vane adnotatum est, nullius animalis speciale nomen inveniri quod neutrale sit (Non. 216; K. V 41, 24).

Praeterea cf. K. V 586 orbis.

P.

Ch. 105, 14 Palpetras per *t* Varro ad Ciceronem XIII dixit. sed Fabianus de animalibus primo palpebras per *b*. alii dicunt palpetras genas, palpebras autem ipsos pilos.

Ch. 106, 24 Palumbes Vergilius feminino genere dixit *aeriae quo congessere palumbes,* item *raucae, tua cura, palumbes;* sed Lucilius XIV masculine *macrosque palumbos.* Varro autem in Scauro *palumbi* dicit, quod consuetudo quoque usurpavit (Non. 219).

K. V 588, 2 Pampinus generis feminini, ut Cornelius *purpureis geminata pampinis uvis* (Char. 105, 19 et Cled. ars K. V 40, 15).

Ch. 90, 5 Panis masculino genere dicitur. nam etsi neutro genere Plautus dixit *pane et assa bubula,* tamen vitiose . . . . . .

Ch. 83, 26 Papaver neutri generis est; sed masculino genere Plautus dixit *quam si tu obicias formicis papaverem* et Cato Originum secundo *papaver Gallicanus* et Varro in Admirandis *infriasse papaverem* (Non. 220, K. V 586).

Ch. 106, 10 Parobsides feminino genere dicuntur, a pulmentario videlicet, quod Graeci ὄψον appellant.

Ch. 140, 8 Pecus si neutri sit generis, pecoris dicitur; pecudis, si feminini, pecudem Plautus in ⟨Truculento⟩, *ob meam scripturam pecudem cepit.*

K. V 40, 8 (Cledonii ars) Penus: . . . . hic penus Plautus in Pseudulo *nam nisi mihi penus annuus hodie convenit;* haec penus Pomponius *quo pacto caream tam*

pulchra peno. haec penus huius penus, hic penus huius peni, ut est haec manus huius manus, ... (Ch. 140, 11).

K. IV 208, 16 . . . . et Cornelius Severus rerum Romanarum libro I dixit *pelagum pontumque moveri.*

K. V 586, 4 Pelves generis feminini, ut Valgius *perfusam pelvem.*

K. V 587, 1 Perdix generis feminini, ut Varro *garrula limoso prospicit elice perdix* (Non. 218).

Ch. 58, 10 Pervigilia neutrali genere plurali numero an pervigiliae feminino genere plurali numero dici debeant quaeritur. et dicendae sicut pervigiliae; nec hoc laboriosa ratione adprobatur. nam cum per se vigiliae dicantur, praepositione adiecta non naturam mutant, sed accipiunt temporis diuturnitatem, et qui vigilant pervigilare dicuntur.

Ch. 72, 30 Pistrinum neutraliter dicitur; sed Lucilius XVI feminine extulit *media e pistrina,* ad tabernam referens, ut caupona dicitur. nam et Terentius deminutive pistrillam dixit *pistrilla erat quaedam* (K. V 588).

K. V 587, 14 Pix generis feminini, ut Varro. *Idaeasque pices* (Ch. 91, 26).

Ch. 140, 15 Pometa ubi poma gignuntur ut oliveta; pomaria autem quo ponuntur; pomaria in quibus continentur (Ch. 109, 28).

K. V 588, 1 Porrum generis neutri, sed Varro *ponuntur tenues porri* (Ch. 104, 7).

K. V 587, 16 Praesepia vetant grammatici singulariter ⟨dici⟩; et de genere quaeritur. sed Varro haec praesepis et alibi hoc praesepe. Cotta *nunc ad prae-*

---

5 pelves] *Vallius* in cod., *Valgius* Hauptius. — 27 praesepia] locus corr., de quo cf. Keilii adn.

27 praesepia] Ch. 59, 11 loco corrupto: . . . *hoc praesepe neutraliter ⟨dicimus et hoc praesepium⟩, pluraliter praesepia. sed Plautus in Curculione feminine . . . . 'esum ad praesepem suam'. et Varro in Nepote haec praesepes ⟨dixit. sciendum autem est in e⟩; cet.*

sepia prop. . . . . . *non sunt in praesepibus boves*, et Vergilius *plena ad praesepia ponunt.* sed consuetudine neutro genere praestat dici (Ch. 59, 11).

Ch. 94, 9 Praetextum quidam dici volunt, quia intellegitur vestimentum; sed consuetudo vicit, quae praetextam dicit, referens scilicet ad togam (K. V 587).

Ch. 97, 10 Hos pugillares et masculino genere et semper pluraliter dicas, sicut Asinius in Valer⟨ium⟩, quia pugillus est qui plures tabellas continet in seriem sutas. at tamen haec pugillaria saepius neutraliter dicit idem Catullus in hendecasyllabis. item Laber⟨ius in Piscatore⟩ singulariter hoc *pugillar* dicit.

Ch. 73, 7 Pulmentum et pulmentarium dicitur. nam Cato Originum III *laserpitium pro pulmentario habet,* in eodem *multo pulmento usi.* sed quidam putant pulmentum quasi pulumentum melius dici. Varro autem ad Ciceronem V pulmentum ait, quod id cum pulti essent, et inde pulmentarium dictum.

Ch. 89, 22 Pulvis masculini generis est, quamvis Propertius dixerit *qui nunc iacet horrida pulvis* (K. V 588).

K. V 586, 3 Pumex generis masculini, ut Vergilius *latebroso in pumice pepli* (K. IV Anon. de nomine 209, 16).

K. V 586, 17 Putei generis masculini, ut Cato et Varro.

Praeterea cf. K. V 587 pilleum, pugnum.

Q.

K. IV 211, 21 Quali masculino genere dicuntur, ut *tu spisso vimine qualos,* et neutro, ut Cicero *inter qu . . . . . pectebatur aurum.*

---

13 pulmentum] *quod id cum pulte essent* coni. Fabricius, *quod id cum pulte esset* ed. pr., *quod id cum plute ēet* N.

7 pugillares] vide in capite 'de indeclin. et defect.' — 13 pulmentum] Varro de l. l. V § 108 *quod edebant cum pulte, ab eo pulmentum, ut Plautus. hinc pulmentarium dictum.*

K. V 588, 19 Quaestio generis feminini, ut Varro quaestionum epistolicarum.

K. V 588, 18 Quies generis feminini, unde Brutus 'requietem' dixit (Ch. 69, 1; 110, 1; 128, 12; 142, 3).

R.

K. V 588, 26 Ramus generis masculini, ut Cornelius *pomosa lentos servabat in arbore ramos.*

Ch. 99, 19 Rediviva dicimus quae post interitum redeunt, recidiva quae ex suo casu restituuntur. unde Vergilius *recidiva manu posuissem Pergama victis.*

Ch. 61, 15 Rete neutrali genere an retis masculino dicendum sit quaeritur .... feminine enim nullam capit adfirmationem, cum per deminutionem aut masculinum sit, ut hic reticulus, aut neutrum, ut hoc reticulum. nemo autem tam obstinatae inpudentiae est ut dicat feminino genere haec reticula huius reticulae, quem ad modum haec navicula huius naviculae . . . . quamquam enim neutralibus ⟨masculina⟩ suavitate enuntiandi similia sint, aliquid tamen auctoritati Vergilii nostri tribuendum est dicentis *retia rara plagae et lato venabula ferro,* et alio loco *ego retia servo;* . . . .

S.

Ch. 105, 17 Sagum neutro genere dicitur. sed Afranius in Deditione masculine dixit *quia quadrati sunt sagi* et Ennius *sagus caerulus* (K. V 591).

K. IV 209, 6 (Anon. de nomine) Sal quidam putant

---

8 rediviva] *quae ex suo usu* N., *casu* ed. pr.; *recidiva, post casum restituta* Serv. ad Verg. geo. II 3.

26 sal] Ch. 106, 12: Sal masculini generis est nec habet pluralem. nam et Sallustius ita usus est *neque salem neque alia inritamenta gulae quaerebant.* sed Fabianus causarum naturalium II neutraliter dixit, *cur sal aliud perlucidum, aliud inquinatum aut nigrum? quia sal ex arido congelatum est.* idem etiam pluraliter dixit *haerescunt infusi sales,* cum pluraliter

generis esse neutri, ut mel fel. quod si ita est, in obliquis casibus analogia dissolvitur. non enim geminata *l* genetivo huius sallis facit, quo modo mellis fellis. quod si una *l* refertur, non idem genetivo flectitur salis, sicut mellis et fellis. sed ab ea origine venit, ut significet iocos, et ideo sales masculini generis est, ut apud Lucilium *ore salem expiravit amarum* et apud Sallustium *neque salem neque alia inritamenta gulae quaerebant*, et apud Horatium Flaccum *parochi quae debent ligna salemque.* flectitur ergo, ut masculino genere possit esse sic uti sol; sed genetivo casu solis producitur, salis corripitur. . . . . sal Fabianus causarum naturalium neutro genere dixit *cur sal aliud inquinatius vel nigrius? quia sal e luto congestum est:* idem masculino pluraliter *protinus crescunt effusi sales:* Afranius Liberto *meum sal si bene visum mihi* genere neutro (Ch. 106, 12, K. V 591).

K. V 590, 21 Salientes aquarum generis masculini, ut Caelius *perpetuum salientem.*

Ch. 90, 20 Sanguis masculino genere, et facit hunc sanguinem. sed Cato de habitu ait *sanguen demittatur,* et Lucretius *visceribus viscus gigni sanguemque creari;* ubi etiam nominativus singularis viscerum adnotandus est, hoc viscus.

Ch. 106, 21 Saturitas in cibo tantum dicitur, in ceteris vero satietas; sed Vergilius *odiis aut exsaturata quievit* dixit.

K. V 590, 4 Scabillum generis neutri, sicut scamnum, ut Varro in actionibus scenicis.

Ch. 80, 15 Secus neutri generis est nomen, unde et Sallustius *virile secus* dixit, hoc est virilis sexus, quod per omnes casus integra forma declinatur . . . . . (Non. 222).

Ch. 57, 8 (?) Senecta an senectus dicenda sit quaeritur. quotiens igitur plura in eundem significatum

---

facetias tantum significari grammatici tradiderint. et Varro de poematis II *nunc vides in conviviis ita poni sal et mel.* quod genus etiam Verrio placuit. — 32 senecta] cf. Serv. in Verg. Aen. XI 165.

devertuntur, sed omnia sua regula tuta sunt * utrumque ergo de quo quaeritur inreprehenso sermone dicetur.

Ch. 107, 25 Serta neutro genere dicuntur, ut Vergilius *serta procul tantum capiti delapsa iacebant.* sed Propertius feminine extulit sic, *tua praependcnt demissac in pocula sertae,* et Cornelius Severus *huc ades Aonia crincm circumdata serta* (K. V 590).

K. V 590, 18 Serum lactis generis neutri, ut Rabirius *in tenerum est deducta serum pars intima lactis.*

Ch. 71, 16 Servitium multitudo est servorum, servitus condicio serviendi; sed veteres indifferenter servitium et pro servitute posuerunt. *servitio enixae tulimus* Vergilius in III.

Ch. 81, 11 Sibilus dici oportet, ut Vergilius *nam neque me tantum vcnicntis sibilus austri;* Cicero de gloria II *in Tusculanum metri nuntiabantur gladiatorii sibili.* sed et neutro genere quidam dixerunt, ut Ovidius *sibili dant saniemquc vomunt,* Cornelius Severus *et sua concordes dant sibila clara dracones,* et Macer theriacon *longo rcsonantia sibila collo.*

K. IV 209, 19 .... silex ..... masculino genere ....; apud antiquos feminina erant, *stabat acuta silex* et *silicc in nuda* .... (K. V 591).

Ch. 108, 20 Simiam auctores dixerunt etiam in masculino, ut Afranius in Temerario *quis hic est simia, | qui me hodic ludificatus est?* Laberius tamen in Cretensi ait *farmacopoles simium | deamarc coepit;* et Cicero ad Marcellum *simiolum* deminutive dixit (K. V 591).

K. V 590, 26 Simpulum generis neutri, ut Varro ad Neronem.

---

8 serum] Hauptius versum Rabirii emendavit. — 24 simiam] *ad Marium* Fabricius coll. Cic. ad fam. VII 2, 3 *hic simiolus animi causa me in quem inveheretur delegerat.*

3 serta] apud K. V 590 s. v. *serta* est: sed Propertius dicit *cum tua praependent demissae in pocula sertae.*

K. IV 211, 19 Sindo generis masculini est usu magis, quam ratione certa; cuius locutio talis est 'sindones Arabeos'.

Ch. 109, 26 Stips non dicitur in significatione trunci, sed stipes, et facit stipitis, ceterum in aeris significatione correpte stips dicitur et facit huius stipis.

Ch. 81, 24 Stomachus etiam in pluribus singulariter dicitur, ut ait Calvus *quorum praedulcem cibum stomachus ferre non potest* (K. V 590).

Ch. 109, 17 Stirps in significatione sobolis feminino genere dicitur, ut ait Vergilius *heu stirpem invisam;* sed cum materiam significat, masculino, *imo de stirpe recisum,* item *sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum | sustulerunt.* dixerunt tamen etiam ⟨in⟩ significatione sobolis masculino genere, ut Pacuvius *qui stirpem occidit meum* (K. IV 210).

Ch. 109, 14 Strigem hanc in significatione avis dicas; striga autem castrense est vocabulum intervallum turmarum significans, in quo equi stringuntur. unde et strigosi dicuntur corpore macilento.

K. V 590, 17 Strues generis feminini, ut Fabianus *coacervata strues.*

Ch. 86, 7 Successor cum masculino genere proferatur, Cornelius Severus etiam feminine *ignea iam caelo ducebat sidera Phoebe, | fraternis successor equis.*

K. IV 213, 22 Sutilis masculini generis est et communis: feminini ut *tremuit sub pondere cumba | sutilis et multam accepit rimosa paludem,* et masculini, ut balteus et 'equus Troianus sutilis', et neutri, ut 'corium sutile'.

K. V 590, 1 Syrma generis neutri; priores feminini, ut Cornelius *tragica syrma.*

Praeterea cf. K. V 590 saccus, stiria, 591 stuprum, scalper.

T.

Ch. 61, 29 Hoc tapete dicimus, ut hoc facile, et sic similiter per omnes casus huius tapetis huic et ab hoc tapeti, pluraliter haec tapetia tapetium tapetibus; quam

declinationem Vergilius sequitur, cum dicit *qui forte tapetibus altis.* sed et hoc tapetum, ut stragulum, similiterque declinatur, hoc tapetum huius tapeti huic tapeto, pluraliter haec tapeta horum tapetorum his tapetis. nam et sic quoque Vergilius declinat dicens *instratos ostro alipedes pictisque tapetis.* sed et masculino genere dicit *pictosque tapetas,* cuius nominativum faciunt quidam hic tapes, qui facit hos tapetas; quod ego, quia nusquam scriptum puto, nequaquam probo (K. IV 209, 27).

Ch. 71, 20 Tergum dorsum est et declinatur sic, hoc tergum tergi tergo, pluraliter haec terga tergōrum; tergus autem pellis huius tergoris facit, pluraliter tergora et genetivo tergŏrum correpte. sed contrario Vergilius *terga bovum* dicit et in VIIII *hinc raptas fugientibus ingerit hastas | in tergus.* quidam volunt tergum hominis esse, tergus vero pecoris (Non. 227, 414, 459).

K. V 591, 28 Tornum generis masculini, ut Maecenas *cardine torno.*

K. V 592, 5 Torques generis feminini ut Propertius* . . . . *torquem auream* (Non. 227).

K. IV 210, 30 Turbo, cum puerilis lusus instrumentum significat, masculini generis est, ut *ceu quondam torto volitans sub verbere turbo* . . . . at cum procellam significat, feminini generis erit, ut *ater quos aequore turbo | Dispulerat,* et declinatur ut virgo. at cum proprium hominis nomen est, declinatur ut Cato (Ch. 144, 30; 145, 8; 64, 26; Prisc. 207, 17).

K. V 592, 3 Turtur generis masculini, ut Plautus *tu tibi habeas hos turtures.* quamvis Pollio et alii dicant turturellas.

Praeterea cf. K. V 591 tofus.

U.

K. IV 211, 15 Urcei masculino genere, non neutro dicuntur, quoniam diminutive ⟨masculino⟩ genere urcioli, non urciola dicuntur.

V.

K. V 593, 20 Vectes generis masculini . . . . sed Trogus genere feminino dixit.

K. IV 213, 3 Inter ventrem et alvum et uterum hoc interest, quod venter totus dicitur, qui oculis subiectus est, alvus interior pars, qua cibus commeat, uterus autem, quo mulier baiulat partum.

K. V 592, 19 Vepres generis feminini, ut Titus Livius *has vepres.* sed singularem non recipit, quamvis Aemilius masculine dicat *veper occulta ruis.*

Ch. 99, 25 (?) Vici dicuntur humiles domus. nam qua incedimus non vici sed viae sunt vicorum. unde vicinia dicitur loci demonstratio, vicinitas vero vicinorum coniunctio.

Praeterea cf. K. V 592 veternum.

---

8 vepres] 10 Aemilius i. e. Aemilius Macer, auctor Plinianus, qui in eodem fragmento de dubiis nominibus nobis occurrit p. 576, 5.

Adnotationes ad Plinii librorum dubii sermonis reliquias.

De litteris (p. 1).

Plinium de litteris perquisivisse fontes antiquiores docet nos Historia ipsa Naturalis. Legimus enim VII 192: Litteras semper arbitror *Assyrias* fuisse, sed *alii apud Aegyptios a Mercurio,* ut Gellius, alii apud Syros repertas volunt. utique *in Graeciam attulisse a Phoenice Cadmum sedecim numero,* quibus *Troiano bello Palamedem adiecisse quattuor* hac figura ζ ψ φ χ, *totidem post eum Simonidem melicum* υ ξ ω ϑ, quarum omnium vis in nostris recognoscitur. *in Latium eas attulerunt Pelasgi.*

Ex eodem quo Plinius fonte hausit Maximus Victorinus (K. VI 194, 11): Qui primi litterarum inventores fuisse traduntur? Phoenices, quamvis *alii Assyrios,* alii *Mercurium apud Aegyptios* adserunt. *in Graeciam* certe *Cadmum Phoenicem* XVI *attulisse* constat . . . . . iisque *Troiano bello Palamedem addidisse* IV, η ψ χ φ, *post eum Simonidem melicum totidem* ζ ξ ω ϑ; hae auctore, ut quidam volunt, Euandro, ut alii, Hercule *in Italiam a Pelasgis adlatae sunt.* — Tertium testimonium est Mar. Victorinus (K. VI 23), quod hic transcribere supersedeo, ubi Cincius, Fabius, Gellius auctores laudantur. Cn. Gellius saepius et in N. H. et in his fragmentis nobis occurrit, ut N. H. VII 194, 197, 198, III 108, in libris grammaticis apud Ch. 54 (crebro) et 55 et 71. Quidquid Plinius e Varronis libris excerpsit, quae de inventione litterarum tradit suae doctrinae copia auxit (cf. e. g. Prisc. 8, 2, qui Varrone auctore inventores Chaldaeos fuisse commemorat).

Itaque, si in libris dubii sermonis multa ex Cn. Gellio eum hausisse apertum est, de litteris eum eodem usum esse auctore satis credibile est. E Plinii libris — per quos factum sit ignoramus — pervenit haec narratiuncula ad Victorinos et Audacem (K. VII 325). Iam per ea ipsa quae narrantur veri simile est hanc doctrinam non ex fontibus latinis sed ex graecis fluxisse (Froehde, Anfangsgr. p. 99).

Atque iam statim incidimus in observationem Plinii de littera *l*, quam satis insignem esse et ii qui de re phonetica scripserunt concedunt (Seelmann p. 324). Certum est posteriores grammaticos hanc divisionem non tenuisse. Attamen quae Priscianus tradit, ea ex antiquioribus fontibus (per Papirianum) excerpsit. Et plura in hac parte Prisciani a Plinio profecta esse iam testatur Neumannus p. 58.

Observatio Plinii de vocabulis 'laterale' an 'laterare', 'aqualium' an 'aquarium' ostendit interdum suavitatem dicendi quasi iudicem qui litem dirimat intercedere debere (cf. Wölfflin, Archiv IV, die Dissimilation der littera canina p. 10). Audiebat Plinius sonum literarum, sentiebat *m* literam nasalem, ante dentales dentalem fieri, ante gutturales gutturalem (agma); itaque ante labiales *n* litteram nasal. fieri labialem *m*. Nam in his rebus magna semper fuit dissensio; ut Accius 'iggerunt' scribebat, quod Varro non improbat (Prisc. 30, 19)[1]). Haec studia, ut ita dicam phonetica, cum orthographia erant coniuncta et cum etymologia, ut 'pecunia' per *c* non per *q* scribendum esse censet. (Ch. 107, 33). Neque a more Plinii abhorret, quod de statu elementorum etiam apud alias gentes Italas quaerebat (Prisc. 26, 16). De mutatione (extenuatione) *o* litterae in *u*, in primis in fine vocabulorum, tum in media syllaba quid senserit discimus e Prisciano 26, 16 sq. et e Ch. 130, 29 *frus*. Fortasse aequum est his observationibus inserere locum Ch. 75, 4 de *-uos* an *-uus* in extremis nominibus, quippe quae iam apud Quint. I 4, 11 placerent plerisque, ut aut Verrio Flacco aut Plinio ascri-

1) Ritschl, Op. 4 p. 144.

benda sint. Habemus sane nihil aliud nisi misellum frustulum totius de his rebus doctrinae Plinii.

De genetivo singulari in *as* exeunte (p. 2).

Grammaticorum qui de genetivo in *-as* quaesiverunt antiquissimi sunt Sisenna et Varro, post eos Plinius Secundus. Subiungebant quaestiunculam aliam: num dicendum esset 'patres familiae' an 'familiarum'. Et hos duos locos Charisianos a Plinio profectos esse, quamquam plane intactos esse eos non credo, ultro apparet. Erat hic genetivus perantiquus, ab Indogermanis acceptus et Europaeis proprius[1]), qui in lingua latina a vetustissimis temporibus propagatus cotidiano maxime usu dicendi et vulgari suum locum tenebat in illa forma 'familias'. Apud Caesarem nunquam invenitur, perraro apud Livium et Tacitum. Quod autem in bello Hispan. 19, 3 et bello Alex. 58, 4, apud scriptores ultimae aetatis et in Vulgata legitur non miramur.

Has formas in *-as* interdum male intellectas esse videmus ex loco Sallustiano (Ch. 107), ubi Servius ad Verg. Aen. XI 801: „pro 'custodiae'. ita enim etiam Asper intellegit, licet alii 'custodias' accusativum velint". Idem valet de acc. Augustas (Ch. 120). A saeculo VI a. u. eius modi genetivi ex usu removentur. Quod ad formas 'patres familias' an 'familiarum' magna erat dissensio. Sisenna vult 'patres familiarum', approbat Varro de l. l. 8, 73, qui ipse tamen eodem loco 7, 44 'matres familias' (cf. r. r. 2, 10, 8) et apud Ch. 107 de scaenicis originibus primo et tertio 'matres familiae'. Ex loco Charisii discimus genetivum illum in *-arum* „quoniam erat durum et longe iucundius patrum familias sonabat" non placuisse. Hic agnoscimus sententiam Plinii aures consulentis. Praeterea Sisennae opinionem refellit iure et fortiter. Certum est illud 'patres' vel 'matres familia-

---

1) Videtur -es vel -os cum -ā- radicis ultima contractum esse: cf. χώρᾱς, got. gibōs, lit. rañkōs, osc. eituas.

rum' apud scriptores rarissimum esse: plerumque invenitur aut patres, matres, filii familias aut patres, matres familiae.

De genetivo singulari in *ii* exeunte (p. 3).

De genetivo vocabulorum in *-ius*, *-ium* habemus testimonia Lucilii, Varronis, Nigidii Figuli, Plinii Secundi. Quid de testimoniis, quae Probi esse dicuntur, statuendum sit difficile est dictu. Hoc satis firmum certumque est Lucilium unam *i* scribere voluisse: 'porro hoc, filius Luci, feceris *i* solum, ut Corneli Cornificique (Ch. 78), Varronem duas *ii* (Ch. 78), Nigidium unam (Gell. N. A. XIII 26); Plinius dicit rationem poscere *ii*, consuetudinem *i* velle. Poetarum maior pars saec. I p. C. ad duas *ii* inclinare incipit. Huius usus vestigia Augusti temporibus praebent monumenta, quamquam *i* superat (Bücheler, Lat. Decl. 72); paulatim et monumenta et poetae et grammaticorum doctrina in unum convenit. Apparet ex locis Charisii 122, 6 et 141, 6 Plinium sententiam Varronis secutum esse et hanc scribendi rationem commendavisse, ut ab illius tempore in artem grammaticam introducta sit. Vocativus in *ii* a Plinio repudiatus est. Totam hanc doctrinam coniunctam habemus apud Ch. 71; quae sive Froehdio aliisque concedis, qui Romanum auctorem esse putant sive Palaemoni tribuere mavis, tamen ex uno Plinio profluxisse certo certius est.

De genetivo singulari dubio (p. 4).

In multis vocabulis, quorum nominativi similes, genetivi dissimiles sunt, Plinius differentiam significare et praecipere volebat testimoniis veterum, quantum poterat, subnixus; se opposuit igitur severis analogiae regulis a Caesare conditis (144, 30). Audiebat regulam de nominibus propriis in *-es*, ut gen. 'Herculis' et 'Achillis' anteferret alteri in *-i*. Varro, de l. l. 8, 26 'Herculi' et 'Herculis' utrumque in consuetudine esse dicit. Nomina propria in *-is* peregrina gen. habent in *-idis* e. g. Ch. 145, 3

Tanais, Tanaidis; 89, 24 Sarapis, Sarapidis; Isis, Isidis. Nihilo secius et latine declinari possunt, ut Varronis et Vergilii testimonia significant (89, 24). 'Domi', propter 'suae' pronomen, genetivus habebatur, quamquam eius modi formae adverbiis inserere solebant.

De accusativo singulari dubio (p. 7).

C. Caesar ut in omnibus fere quas praescripsit regulis grammaticis non multum profecit. Graecorum nomina propria latine declinantem velut Calypso Calypsonem (Quint. I 5) consuetudo superavit; Plinius iussit graeca nomina non latinis regulis allegari (Ch. 123, 7). Sic in illa quoque quaestione de accusativo in *-im* praeceptum Caesaris non valuit (Ch. 122, 29). Ceterum de Plinii sententia vix certi quidquam statuere possumus, quamquam videtur suae regulae non obsecutus esse, quippe qui nulla alia vocabula in *-im* acc. admittens nisi *febrim, tussim, sitim,* ipse tamen in N. H. securim, turrim, cucumim scriberet.

De ablativo singulari tertiae declinationis (p. 8).

Totius operis Pliniani caput quod e naufragio servatum est optimum et non parvi faciendum hoc est. Quidquid desideramus in singulis partibus, quidquid variis causis in iis corruptum est vel caligine quadam obrutum, nulla fere reliquiarum pars intuentibus tam perspicua est quam ea, quae de ablativo singulari est conscripta. De ablativo singulari praecepta quaedam a Varrone, Caesare, Verrio Flacco data erant (Ch. 122, 23; 126, 9; 133, 18), neque perfecta diligentia et summo studio haec res erat tractata. Erat vero in tota re ordo et ratio quaedam, quam Plinius primus indagavit filumque tenens per labyrinthi ambages ad eum locum progressus est, quem alii occupare nequaquam poterant. Quamquam qui in tali re certas regulas constituere cupiunt, facile ultra fines progrediuntur, quia homines veritatem inquirentes,

si quid veri invenerint, parvo non contenti ultra plerumque tendunt. Itaque iniquum est hominem hominis vitium reprehendere, quasi Plinius nimio veri investigandi studio adductus regulas subtiliores et futiles excogitaverit. Tota Plinii doctrina, quam ex reliquiis eruere licet, immutata in artes grammaticas quae transiret non erat idonea. Quo factum est ut coartata et intra suos fines coercita a grammaticis reciperetur, quod cognoscimus e fragmento illo Bobiensi de nomine et pronomine (K. V 560, 12), ubi Plinii nomen additum est. Atque eodem modo nostra aetate haec pueri discunt. Quae sit igitur sententia Plinii Secundi in hac re, quaeritur. Regulae spectant ad diversas verborum classes secundum numerum syllabarum genetivi (parisyllaba et imparisyllaba) et extremas litteras nominativi digestas. Monosyllaba extra analogiam sunt, in quibus consuetudo magis retinenda est (Ch. 138, 18). Prima regula est, ut omnia vocabula imparisyllaba, quorum genetivus in *-is* exeat, in ablativo *e* habeant; ubi res dubia erat ad postremum *e* littera superavit (Ch. 122, 23): . . . dicimus enim . . . . ab hoc canali, siti, tussi, febri. maiore tamen ex parte forma mutata est. ab hoc enim cane, orbe, carbone, turre, falce, igne, veste, fine, monte, cet. . . . . dicimus. — Si adicis aliquid (hoc valet etiam in parisyllaba et in reliqua) *i* littera scribenda est (Ch. 120, 17; 127, 26). Sequitur ut vocabulum, quod cum alio commune esse nequit, *e* habeat (Ch. 121, 17; 124, 20: *coniuge,* quod alii rei non possit esse commune, idcirco per *e* sonabit).

In parisyllabis *i* aut *e* littera finitur ablativus. Nonnunquam consuetudo intercedit (Ch. 139, 17). Iam vero subtiliter distinguit Plinius inter varios qui eveniunt casus: nomen potest esse idem nomen proprium, vel de persona certa potest dici, vel 'in animali significatione' (Ch. 120, 30), tum 'de re' sive 'aptum homini et negotio' (124, 18), tum de persona aliqua plane incerta, e. g.: Ch. 120, 26 *agilis,* ab hoc agile. si de persona dicatur, ita dici debet: quod si rem significat, ab hoc

agili dici debet, ut idem Plinius eodem libro. Eadem subtilitate distinguit in vocabulis, qui in *ns* exeunt (imparisyll.): habent *e* in abl. (Ch. 126, 9), sed si coniunguntur cum alio vocabulo: *i* (Ch. 125, 9; 126, 9; 125, 13, 15). Sequitur ut omnia nomina, quae propria esse nullo modo possint, semper in *i* exire debeant (130, 22; 146, 21; 138, 4); 'consularis' (124, 18) nunquam per *i* dari ablativus poterit quod proprium nomen hominis non sit, sed aptum homini et negotio. Personae plane indefinitae 'rebus' attribuuntur (130, 22; 146, 21; 138, 4); cf. Ch. 146, 18 vestale, Nepos exemplorum II 'a virgine Vestale' inquit pro Vestali, quia non personam sed rem significat. Adiectiva in *er* exeuntia (alacer 121, 21, celer 124, 22) isdem regulis submittuntur. Neutra in *e* et *ar* ablativum in *i* habent; excipiuntur 'iubar' et 'far' (Ch. 122, 13; 133, 18). Si abl. habet *i* tum acc. potest habere *im*, contra si abl. habet *e*, acc. *im* non habet (126, 4). Comparativi exeunt in *e* (antiqui *i*) teste Ch. 138, 15.

Haec sunt, quae a praeceptis Plinianis discimus.

De nominibus quartae declinationis (p. 16).

A radicibus in *-u* (cf. scr. śatrùṣ, got. sunus, lat. fructus, gr. ἡδύς) casus per tria themata derivantur -u-, -eu-, -ou-; extremitates sunt *-os* vel *-es* vel *-s*, quod pendet ab accentu. Gen. fructūs (vel fructuus) existere potest ex *fructu-os, *fructeu̯-os vel *fructou̯-os; gen. 'fructuis' aut eodem modo oritur aut addito *-es*. Cui tamen sanscriticam formam genetivi śatrōṣ comparare libet, etiam ad -ūs extremitatem eum venire necesse est (*fructeu̯-s, *fructou̯-s: fructūs). Itaque quamquam perdifficile est de origine gen. fructūs iudicium ferre, de antiquis formis in *-us* et *-is* (senatuos in Sen. cons. de Bacchanal.; fal. zenatuo) nulla dubitatio est; de Plinianis genetivis in -uus supra p. 17 in adn.

De genetivis in *-is* veteres in hunc modum iudicabant:

putabant eos ad analogiam dativi esse factos addita littera *s* (Gell. N. A. IV 16). Constat hanc extremitatem genetivi perantiquam esse, ut apparet ex vocabulo *senatuis* apud C. Fannium (Ch. 143, 12) Gracchorum aequalem. Non minus usitatum erat ut haec vocabula in 2. declinationem transirent, ut apud Plautum 'quaesti' et 'quaestus', 'sumpti' et 'sumptus'.

Plinius Secundus pro ū longa scribebat *uu* nec solum in hac declinatione sed etiam ubi occasio data erat (virtuus).

De dativo-ablativo plurali in -*is* pro -*ibus* exeunte (p. 19).

Erat antiqua regula, Ch. 52, 17 (cf. Ch. 125, 23; 143, 13): neutra quae semper pluralia sunt, si ante novissimam syllabam *i* litteram habeant, genetivo per -*um*, dativo per -*bus* syllabam finientur, veluti Saturnalia, Saturnalium, Saturnalibus. Alia regula est quae Charisius 131, 10 sq. tradidit; nam hoc loco sunt barbara nomina, quae in dativo et ablativo plurali habent -*bus*, quia singul. abl. *e* littera finitur (cf. Ch. 53, 6), ut glossemata, poemata, toreumata. Sed Plinius succurrit cum sua regula s. v. aenigmatis (Ch. 123, 3): quamquam ab hoc poemate his poematibus facere debeat, tamen consuetudini et suavitati aurium censet summam esse tribuendam (cf. K. IV 208, 23 sq.).

De genetivo et accusativo plurali (p. 20—27).

1. de genetivo plurali in -*um* 1. et 2. declinationis.

Antiquissimum priscae gentis Indogermanorum monumentum est illud -*um* (-*om*) in genetivo plurali 3. decl. et verborum radicum quae in -*o* exeunt. Manebat haec forma praecipue in illis vocabulis 'nummum', 'modium' cet. Transiit in genetivum plur. nonnullorum nominum 1. decl. Postea tamen cedebat in 2. decl. propter similitudinem accusativi singularis et neutrum (hortum, do-

num) et *-sōm, quod pronominibus et 1. et 5. declinationi proprium est, (cf. scr. tā-sām = earum) eius locum occupabat. Ad ea quae Buechelerus laudat p. 85 sq. accedunt 'praefecti fabrum' apud M. Scaurum (Ch. 129, 10) et rarissimum illud 'digitum' apud Varronem de vita pop. Rom. I (Ch. 126, 25). Praeterea Plinius monet ne genetivis neutri generis vocabulorum utantur propter casuum similitudinem. Atque de genetivis amphorum, qui tamen cum 'drachmum' graeca origine est, et amphorarum hanc distinctionem facit Plinius: 'si coniunctim ut X millia anforum modium sestertium nummum; si per se anforarum'. Non obstat Varro neque scriptores posterioris temporis: Liv. 21, 63, 3 'trecentarum amphorarum', Plin. N. H. 9, 30, 48, 93 'amphorarum XV', Colum. 12, 28, 1 'amphorarum septenum', Varro, l. l. IX 85: sic loquontur, hoc mille denarium, non hoc mille denariorum, cet. Contra Plin. N. H. 6, 22, 24, 82 'terna milia amphorum'. De iuris consultis non loquar. Unde apparet a Plinio hanc regulam conditam esse post mille vel milia breviore forma utendum, ceterum longiore.

2. de genetivo plurali in *-um* aut *-ium* et de accusativo plurali.

Grammatica quae dicitur Indogermanica docet in lingua latina acc. plur. exire aut in -ns (post voc.)[1]) aut in -n̥s (post conson.). Sed apud radices in ei̯[2]) (ignis), analogia iam antiquitus superat et nominativo accusativus similis fit (ignes), apud radices in consonantem exeuntes (consul) ex *consul-n̥s factum est *consul-ens, deinde consulēs. Aetate Augusti Plinio proxima vocabula radicis extrema littera neglecta in acc. plur. plerumque *-es* habebant, pauca *is*: finis, omnis, currulis, pluris, agentis, inferentis (Monumentum Ancyranum). In miliario Popilliano

1) cf. tamen Brugmann, Grundriss I § 220.
2) N. Pl. *ignei̯-es scr. agnay-as, A. Pl. *igni-ns = *ignīs scr. agnīn.

(622 a. u.) invenitur primum forma in *-eis*; sed eodem loco est acc. *aedis*.

Iam satis constat formas in *-es* (acc. plur.) veterrimas esse, deinde accusativos in *-eis* et in *-is* usu sanctos esse neque illas antiqua origine formas suo loco depulsas. Convenit inter plurimos formas in *eis* exeuntes maxime in iis nominibus inveniri, quae in gen. plur. exeunt in *-ium* i. e. inprimis apud ea nomina, quae iure in radicibus cum *-i* enumerantur, tum in iis, quae in hunc ordinem transierunt (participia in *-ns, ars, lis,* cet.). In miliario Popilliano habemus ʻomneisʼ et ʻaedisʼ, in monumento Ancyrano plerumque *-es* sed etiam *-is*, ʻfinisʼ et ʻfinesʼ, ʻlabentesʼ et ʻagentisʼ, in oratione Claudii Lugduni habita ʻplurisʼ et ʻfinesʼ, in codicibus Plautinis tum *-eis* tum *-is* (omneis, liteis, plureis; omnis, virtutis, oboedientis, cet.). In ea igitur conditione res est, ut ad certam regulam redigi nequeat. Fragmenta Pliniana tam pauca sunt, ut vix quidquam ex iis proficiamus. Scimus et Varronem et Aelium Stilonem et Iulium Modestum (Ch. 125, 3) et Pomponium Secundum constituendae regulae operam navasse, at non tam praecepta quam exempla sunt, quae nobis reliquerunt. Varro de l. l. 8, 66—67 audiebat et ʻmontesʼ, ʻfontesʼ et ʻmontisʼ, ʻfontisʼ, ʻgentisʼ et ʻmentesʼ aeque probabat. Plinius (Ch. 129, 19) statuit, ut ea vocabula, quae in gen. plur. *-ium* habeant, in acc. plur. in *-eis* (*-is*?) exire debeant. Addit testimonium Varronis plures exceptiones afferentis, quibus Plinius regulam confirmari dicit. Sunt qui putent genetivos sing. et plur., si *i* adsit, *-eis* finiri in acc. plur. Horum sententiam Plinius spernit.

Non minus laboramus in explicanda sententia Pliniana de genetivo plurali in *-ium* aut *-um*. Quamquam plures supersunt certae regulae, tamen hoc omnes mihi demonstrare videntur per nominativum ad veritatem veniri non posse. Quod intellexerunt ipsi veteres grammatici, ut ad alia subsidia confugerent (141, 24 *partum*); *-ium* habent haec vocabula:

1. vocabula in *-ns* et participia in *-ns* (138, 9; 130, 1; 122, 8).

2. vocabula monosyll. in duas semivocales vel duplicem (f, l, m, n, r, s, x) 136, 29; excep. horum *Martum*; sed cf. 141, 16.

3. adiectiva in *-x* (129, 3).

4. *radix* et *cervix* (142, 14; 124, 28).

-um:

1. vocabula in *x* (124, 28) e. g. cicatrix (125, 1), praeter monosyllaba, adiectiva in *-x* (129, 3), et *radix, cervix*.

2. nomina in *-r* e. g. fur, furum (137, 4).

3. comparativa e. g. fortiorum (125, 3), complurum; sed consuetudo etiam 'plurium'.

4. si abl. sing. *-e*, acc. plur. *-es* finitur e. g. parte, partes, partum; sed consuetudo etiam nonnunquam intercedit (141, 24; 144, 27; 54, 21). Incerta sunt: multa monosyllaba (141, 16).

De verbo (p. 34).

Quantum video Plinius distinguit duo (K. V 227, 23) vel summum tria genera verbi (Neum. p. 52). Varro duo: 'faciendi et patiendi' (l. l. X 33), Quintilianus I 6, 26; IX 3, 7 item, quamquam hoc loco occasio erat diversas significationes indicandi, tum Gellius XVIII 12. 'patiendi' et 'agendi', XVII 7, 8 'patiendi declinatio', at XV 13 et 'communia'. Itaque Plinium tria genera distinxisse veri simile est, certissimum non est, nisi Gellium e Plinii libris hausisse tibi persuasum sit. Ex paucis illis fragmentis de verbo efficitur Plinium et de syntaxi casuum quaesisse interdum nimis subtiliter discernentem inter formam activam et passivam.

De derivatione (p. 39).

Scimus Plinium in N. H. libris ingentem copiam derivativorum ipsum construxisse neque certis regulis in hac

re se obstrinxisse, ut in adiectivis, quae in -aceus exeunt: aut enim similitudinem significant e. g. 'ampullacea pira' (XV 16), aut materiam, ex qua quid factum est: (XXXIV 50) 'rudibus ferulaceis'; (X 81) 'vespertilio ..... cui membranaceae pinnae'; aut locum ex quo, ubi quid factum est, ut 'furnaceus panis' (XVIII, 20). Sed huius formationis adiectiva nonnunquam cum aliis confinis significationis miscentur, ut radix est 'bulbacea' et 'bulbosa' nullo discrimine (XXI 97, 100), et 'oleosus' et 'oleaceus', 'cinaraceus' et 'cinereus' (Wannowski, Pliniana p. 10). Spernebat igitur sententiam eorum, qui in eius modi vocabulis distinctionem faciebant, ut inter Albanos et Albenses (K. V 144, 9 sq.): indifferenter haec inveniri et in iis auctoritatem sequendam esse existimabat.

Apud veteres scriptores aureae praesertim aetatis inter multa derivativa, quae a propriis nominibus originem trahebant, distinctiones fieri non ignoramus; sed 'fretum Siculum' dicebant Livius I 2 et Plinius N. H. 3, 48 aliique, melius tamen Cicero, de n. d. III 10 'fretum Siciliense', quia 'Siciliensis' est quod aliquo modo pertinet ad hanc insulam, 'Siculus' spectat ad originem et genus. Itaque Cicero loquitur de quaestura et anno Siciliensi (div. XIII 38, Brut. 92), cum Epicharmus Siculus sit apud Horat. ep. II 1, 48 et Siculi in facetiis excellant (Cic. or. II 54).

Quod si veteres scriptores non certa ratione eius modi vocabulis utuntur, ita ut dicant bellum Asiaticum, Troïcum, Africanum, id ideo non mirandum est quod tempus et aures et casus quidam in hac re plerumque significationem designat (cf. Archiv I p. 192, Schnorr von Carolsfeld, das latein. Suffix -ânus).

De adverbio et coniunctione (p. 41).

Quae apud nos gerundium et supinum vocantur, apud veteres grammaticos erant plerumque participialia vel supina vel gerundia. Namque nomen 'gerundiva' ab

antiquis grammaticis tam raro usurpatur, ut vix in honore id fuisse dicas (Serv. ad Verg. ecl. 8, 71; Comm. Einsidl. anecd. Helv. p. 210, 5). Certum est antiquos non distinxisse inter gerundia et gerundiva; male iidem inter supinum activum et passivum distinguebant (Diom. 342, 13 sq.). Graeci autem illud nomen verbale quod *-τέον* finitur *ἐπίρ-ρημα θετικόν* appellabant. Quid *θετικόν* significet, haud facile enuclees. Veri simillimum videtur eos cogitasse de praecepto vel de edicto quod est in *παιδευτέον ἐστί*; Hesychius s. v. *θετικόν* interpretatur sic: *τὸ ὀφειλόμενον γενέσθαι*. Plinius tamen ‘gerundia’ nostra inter adverbia qualitatis posuit, nonnullos grammaticos graecos sequens, qui vocabulum *ἐπίρρημα* latiore sensu accipiebant. Erant imperativi *φέρε, ἄγε ἐπιρρήματα παρακελεύσεως* quippe quae cum verbis saepe coniungerentur; cur eius modi elocutiones, veluti est *παιδευτέον* cum verbo substantivo *ἐστί* coniunctum, non inter adverbia enumeres? Itaque *ἐπιρ-ρήματα ποιότητος* ea appellabant, quamquam quid sibi velit illud *ποιότητος* non perspicuum est. Fortasse sic *τὴν ποίοτητα* verbi substantivi se definire existimabant (cf. *καλῶς ἐστι*, abunde est). Ceterum vide Neumannum p. 34. In *συνδέσμοις* (coniunctionibus) apud Graecos erant *ἐπιφορικοί*, quos Priscianus III 100, 15 coniunctiones collectivas vel illativas dicit, quod praepositis aliis inferuntur (ergo, igitur 101, 6). Sed illativae apud Plinium sunt eae, quae ab aliis coniunctiones adversativae appellantur (quamquam, quamvis, etsi, cet.). Itaque multum a nobis differunt, quibus hae coniunctiones adversativae sunt: *ἀλλά, δέ*, at, autem, sed.

Index capitum.

C. Plinii Secundi librorum dubii sermonis VIII reliquiae:

Author

Title

DATE DUE	BORROWER'S NAME

DATE DUE	BORROWER'S NAME